Huebenthal

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

QVOMODO
DEMOSTHENES IN LITE CTESIPHONTEA
DE SECVNDA IVRIS QVAESTIONE RESPONDERIT

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

ERNESTVS HVEBENTHAL
SERVESTANVS

Hübenthal

IENAE
TYPIS G. NEVENHAHNI
MCMIV

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 16. Dezember 1903.

Professor Dr. Edler,
d. Zt. Dekan.

PARENTIBVS · CARISSVMIS

SACRVM

Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς τάδ' εἶπεν. — Quae verba, a quibus populi scita Demosthene auctore facta ducebantur, Philippus rex irridens in campis illis pronuntiasse dicitur, ubi anno 338 a. Chr. n. res inter Graecos et Macedones ad ultimum dimicationis venerant. Atque habuit Philippus, cur post rem ad Chaeroneam bene gestam victoria exsultaret reportata ab adversario, qui cives ad servandam patriae libertatem adhortari non desiisset. Demosthenes vero quamquam non modo rerum adversus Philippum gestarum, sed etiam cladis illius acceptae princeps auctor ab inimicis vocabatur, tamen etiamtunc summa apud omnes fere Athenienses gratia floruit cotidieque, ut ipse dicit [1]), in iudicium adductus ne unam quidem causam amisit.

Quarum causarum gravissima erat lis ab Aeschine Ctesiphonti intenta, qui anno Ol. CX 4, i. e., si nostra utimur computandi ratione, anno 336 a. Chr. n. rogationem ad senatum tulit, ut Demosthenes propter virtutem benevolentiamque, quam erga populum Atheniensem haberet, corona aurea donaretur eiusque donationis renuntiatio magnis quae dicunt Dionysiis populo convocato in theatro fieret. Sed priusquam προβούλευμα ad populum ferretur, Aeschines Ctesiphontem in iudicium vocavit, quod contra leges rogasset: primum enim de Demosthenis virtute et benevolentia falsa eum scripsisse, deinde ante rationes redditas illum coronandum censuisse, denique voluisse donationem non in contione, sed in theatro renuntiari. Libello igitur ad archontem delato lis ipsa instructa erat. Constat autem rem per sex annos dilatam tertio demum anno Olympiadis CXII i. e. 330 a. Chr.

1) Cf. or. Ctes. § 249.

n. actam esse [1]). Tum denique Aeschines causam redintegravit ac paulo post apud iudices in oratione splendidissima et Ctesiphontem leges violasse et Demosthenem corona illa indignum esse probare studuit. Nec dubium videtur, quin accusatione finita Ctesipho pro se ipse breviter dixerit. Patrocinium autem rei susceperat Demosthenes, quippe cui lis revera intenta esset. Qui egregiam illam defensionem habuit, quam palma dignam esse omnes viri docti consentiunt.

Atque opportune accidit, quod utraque oratio et ab Aeschine in Ctesiphontem et a Demosthene pro Ctesiphonte habita aetatem tulit. Multi igitur viri artis criticae periti in singularibus his orationibus interpretandis versati sunt et commentationes de eis conscripserunt. Attamen de offensionibus quas praebent tollendis sententiae etiam nunc tantopere in diversum tendunt, ut prope nulla de re inter homines eruditos plane conveniat. Quamobrem in huius dissertationis priore parte de Demosthenicae orationis §§ 120 et 121, in capite altero de Aeschineae §§ 228 et 229 agere mihi proposui, quorum locorum inter se cohaerentium difficultates nondum expeditas videam neque expediri posse existimem nisi denuo diligenter instituta quaestione.

Caput I.

De Demosthenis orationis Ctesiphonteae §§ 120 et 121.

§ 1. In defensionis §§ 120 et 121 agitur de eis, quae Demosthenes ad secundum quod vocatur *παράνομον* vel potius ad tertium *γραφῆς* caput refutandum de coronae renuntiatione dicit. Defensor enim capitum in libello positorum ordine utitur, quamquam Aeschines ipse apud iudices mutato ordine non modo demonstrare studuerat primum Ctesiphontem contra leges scripsisse, tum demum Demosthenem, ut coronaretur, non

1) Cf. Weil.: Les plaidoyers politiques de Démosthène p. 390 sq.; Baerwinkel.: De lite Ctesiphontea p. 2—19; Blass.: Dem. or. ed. Teubn. introd. p. 8 sq.

mereri, sed etiam postulaverat, ut adversarii eundem ordinem sequerentur. Nec vero prorsus Demosthenes tripartitam illam γραφῆς divisionem suae quoque orationi pro fundamento subicit. Refutatione enim praemissa criminationum gravium de vita sua privata et publica ab Aeschine allatarum (§§ 9—53) res pro Graecorum salute gestas explicare aggreditur, ut ostendat Ctesiphontem de virtute sua non falsa praedicasse (§§ 54—110). Sed postquam priorem partem factorum suorum exposuit, responsionem de παρανόμῳ intericit, priusquam de ceteris rebus gestis ac de Aeschinis factis et moribus agit, ita ut ea, quae de ipsis iuris quaestionibus disserit, in media oratione collocata sint (§§ 111—121). Vel ex hac dispositione veteres grammatici rhetoresque recte collegerunt Demosthenem argumenta ad τὸ ὑπεύθυνον et τὸ κήρυγμα pertinentia infirmare vix potuisse ideoque in mediam defensionem accepisse. Ac ne recentiorum quidem plurimi Demosthenem de legibus defendere student. Nam omnes fere Aeschinem in argumentatione ex euthynis ducta (Aesch. §§ 9—31, Dem. §§ 111—119) superiorem esse concedunt. De coronae autem praedicatione in theatro facienda (Aesch. §§ 32—48, Dem. §§ 120 et 121) quamquam non idem exstat sententiarum consensus, tamen quin in ea quoque quaestione Aeschines adversarium evincat, minime dubium esse crediderim. Sed utut id est, in unum omnium sententiae congruunt: illud enim inter viros doctos haudquaquam discrepat omnia, quae Demosthenes in duabus illis paragraphis 120 et 121 profert, satis debilia esse et oratorem totam rem mira levitate brevitateque absolvere. Nam non modo quam strictim Demosthenes quaestionem illam ab Aeschine accurate tractatam attingat, sed etiam quantopere defensio illius, quam nunc quidem legimus, ab huius argumentatione abhorreat, facile intellegemus, si utriusque verba comparaverimus.

Actor enim primum evidentissime ostendit Ctesiphontis decretum legi illi repugnare iubenti omnes a senatu coronatos nusquam alibi donari nisi in senatu, omnes a populo coronatos nisi in contione. Deinde excusationem praecavet, qua Demosthenem ad Ctesiphontis rogationem perferendam usurum esse exspectat. Alteram enim legem adversarios allaturos dicit,

per quam licere renuntiationem coronae a populo decretae populi scito accedente etiam in theatro fieri affirmaturos esse. Quodsi revera, Aeschines pergit, lex quoque Dionysiaca, quae vocatur, ad coronas a populo donatas spectaret, duas leges mirifice inter se discrepantes in coronis renuntiandis adhiberi posse, id quod verisimile non sit, praesertim cum leges a thesmothetis quotannis recognoscantur et, quaecunque aut supervacaneae aut inter se contrariae repertae sint, a nomothetis tollantur. Sed ut accuratius demonstret nullam inter illas leges discrepantiam esse, de lege Dionysiaca per octo paragraphos luculenter disputat. Ac primum qua de causa ea data sit, disserit. Saepenumero enim in theatro coram omnibus Graecis cum servos manumissos tum nomina civium aut a tribulibus aut a popularibus aut ab exteris civitatibus coronatorum renuntiata esse, nulla rogatione ad populum facta, num praedicationem fieri omnino liceret. Quoniam autem ea re et spectatores actoresque perturbati fuissent et viri illi a senatu vel populo aut in curia aut in contione donati minus honorati visi essent quam hi publice laudati in theatro, legem Dionysiacam latam esse, cuius sententiam Aeschines in §§ 36, 44, 47, 48 exponit hanc fuisse: *μήτ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον, μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα — ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος.* Actor priusquam hanc exceptionem addit, de verbis illis gravissimis *μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς* fusius disputat ostenditque ea non ad senatus aut populi coronas referenda, sed de exteris solis honoribus intellegenda esse. Nam cum de coronis a populo senatuque decretis prior illa lex lata sit, apparere legem Dionysiacam non spectare nisi ad tribulium et popularium et peregrinorum coronas. Quos ad exterarum civitatum honores exceptionem quoque illam refert *ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος.* Nam etiam coronas renuntiatione in theatro facta Minervae dedicandas intellegi non posse nisi de *ξενικοῖς στεφάνοις*, cum alias coronas eodem tempore et praedicari et, ut deis dedicentur, rursus adimi non liceat. Itaque legem Dionysiacam ad populi laudationes minime spectare; adversariis vero ius ad eam provocandi adeo non esse, ut

Demosthenis coronationem a Ctesiphonte rogatam in theatro non faciendam esse satis appareat.

Iam videamus, quae Demosthenes in §§ 120 et 121 respondeat. Antea quoque saepius factum esse dicit, ut et alii et ipse in theatro corona donarentur. Atque ei, qui laudetur, coronationem, quicunque locus praedicationi destinatus sit, semper summo honori esse. In theatro autem non eius, qui coronetur, sed ceterorum civium causa renuntiationem fieri solere, ut hi ad similia facta inflammentur et populum gratias agentem magis laudent quam coronatum. Tum legem illam Dionysiacam recitari iubet gravissimaque convicia cumulans Aeschini crimini dat, quod leges allatas consulto decurtaverit.

Quaeritur igitur de sensu et interpretatione huius legis, quam alter ab altero dissectam afferri contendit [1]). Quod autem Weidnerus [2]) de Demosthenis defendendi ratione adnotat conviciorum molem inopiamque argumentorum documento esse illam fraudem potius in ipsum quam in Aeschinem cadere, fateor hoc iudicium non sine causa factum esse mihi videri. Quid enim? Nonne Demosthenem, virum laesae legis accusatum defendentem, de hoc ipso capite quam copiosissime loqui oportebat? At vide, quam leviter totam rem transigat! Quamquam enim ea ipsa excusatione utitur, quam Aeschines praecavit, in duabus illis paragraphis tamen nulla littera de exteris coronis ab actore tam fuse tractatis invenitur, nihil de priore illa lege dicitur, qua nisus adversarius probare studuerat coronas a senatu aut a populo decretas in theatro praedicari non licere. Neque, quod ad ipsam iuris quaestionem attinet, virorum doctorum alios a Demosthenis, alios ab Aeschinis partibus stare nescio. Nam cum et Westermannus in libello „de publicis Atheniensium honoribus ac praemiis“ inscripto [3]) et Spengelius [4]), Roemheldtius [5]),

---

1) Cf. Aesch. §§ 35 et 36, Dem. § 121.

2) Aeschinis in Ctesiphontem oratio, adn. ad § 35.

3) P. 52—55.

4) Abh. der philos.-philol. Cl. d. k. b. Ak. d. W. X: Demosthenes' Verteidigung des Ctesiphon p. 59—61.

5) Quaestiones de Aeschinis oratione contra Ctesiphontem p. 25—36.

Caemmererus [1]), Weidnerus [2]), Baerwinkelius [3]), Foxius [4]), Guttmannus [5]) Aeschinem legum praesidio hoc quoque loco adversariis superiorem fuisse magna cum probabilitate doceant, alii Demosthenem defendunt veluti Dissenius [6]), Frankius [7]), Schaeferus [8]), mutata sententia Westermannus in orationis Demosthenicae editione Weidmanniana [9]), Kirchhoffius [10]), Halmius [11]), Blassius [12]), Reichius [13]). Sed ne ei quidem, quibus apud Aeschinem falsam legum interpretationem inveniri persuasum est, vix credibile esse negant Demosthenem pro Ctesiphonte ita dixisse, ut nunc in §§ 120 et 121 legimus. Omnibus igitur criticis, qui de his paragraphis disputaverunt, diligentius de defensionis traditae tenuitate quaerendum visum est.

§ 2. Nec mirum est, quod nihilo setius ei, qui Demosthenis causam susceperunt, operam dant, ut illum consulto hanc rem tam paucis absolvere demonstrent. Ac primum quidem sunt, qui Demosthenem iuris quaestionem minutiorem habere censeant, quam de qua accuratius disputet. Blassius [14]) enim adnotat ad

---

1) De duplici recensione orationis Aeschineae contra Ctesiphontem habitae p. 20.

2) L. c. adn. ad § 32 sqq.; Aeschines' Rede gegen Ktesiphon p. 80.

3) L. c. p. 42—70.

4) Die Kranzrede des Demosthenes, das Meisterwerk der antiken Redekunst p. 118—131, 314—323.

5) De ratione quae Aeschinis Ctesiphonteae cum eius commentariis intercedit p. 37—45.

6) Demosthenis oratio de corona p. 289—292.

7) N. Jahrb. f. Philol. u. Pädag. XXII p. 379—382.

8) Demosthenes und seine Zeit, III 1^2 p. 233 adn. 3 et 288.

9) Introd. p. 8^5 et adn. ad § 121.

10) Abh. der Berl. Ak. 1875, ph.-h. Kl.: Ueber die Redaction der Demosthenischen Kranzrede p. 63.

11) Sitzungsber. der philos.-philol. Cl. der k. b. Ak. d. W. 1875, I: Ueber die Beweisführung des Aeschines in der Rede gegen Ktesiphon p. 6—16.

12) Die attische Beredsamkeit, III 1^2 p. 424 sq., III 2^2 p. 213 sq.; Dem. or. ed. Teubn. introd. p. 13 et 17, adn. ad § 121.

13) Die Beweisführung des Aeschines in seiner Rede gegen Ktesiphon I p. 29—41.

14) Att. Ber. III 1^2 p. 424.

§ 110: „Es war selbstverständlich, dass nach allem, was vorangegangen war, sowie in Rücksicht auf das weit Grössere, was doch noch kommen konnte, die Zuhörer den jetzt folgenden rechtlichen Darlegungen eine übergrosse Aufmerksamkeit nicht schenkten und ein tieferes Eingehen nicht verlangten". Nec multum a veritate puto nos aberraturos esse, si statuamus Blassium his verbis praecipue miram illam argumenta ad secundum *παράνομον* pertinentia refutandi rationem excusare velle. Manifestius autem eam sententiam Halmius[1]) aperit, apud quem scriptum videmus, „Demosthenes wolle durch die nachlässige und fast cavaliermässige Behandlung dieser Punkte auch äusserlich andeuten, dass es in einem politischen Tendenzprozesse nicht der Mühe wert erscheine, auf so kleinliche Nebenfragen nur näher einzugehen". Ac Reichius[2]): „Unser Prozess", inquit, „war, wie Demosthenes sagt, eine *φθόνου δίκη*, angestrengt *ἐκ περιουσίας*, in welcher die Gesetze nur dazu dienen mussten, einem masslos erbitterten politischen und persönlichen Feinde zur Befriedigung seiner Rache zu verhelfen. In dieser richtigen Erkenntnis hat denn auch Demosthenes in seiner Verteidigung dem *παράνομον* keinen grösseren Raum zugestanden als ihm gebührte". Quamquam hae explicationes primo adspectu habere videntur, quo se commendent, tamen non diu in eis manebimus. Nam debuitne Demosthenes ei argumentationis adversarii parti, quae apud illum maximi ponderis fuit, tam parvam vim tribuere? Minime, puto. Aeschines enim Ctesiphontem *παρανομίας* accusaverat et in capitibus orationis primo ac secundo duo illa *παράνομα* per quadraginta paragraphos luculentissime tractaverat. Atque etiamsi Ctesiphontis decretum contra leges factum Aeschini occasionem odii diu coerciti in Demosthenem effundendi praebuit et ille adversarium gravissimis conviciis incessivit spe adductus se inimicissimum hominem in perpetuum ignominia affecturum et de rei publicae gubernatione deturbaturum esse, tamen totius accusationis fundamenta in eis capitibus posita erant, in quibus de rationibus

1) L. c. p. 15.
2) L. c. p. 40.

Demostheni reddendis et de corona non in theatro renuntianda disseritur. Quae ne Roemheldtius[1]) quidem negat, qui ratus maximam vim huius iudicii in eo esse, utrum Demosthenis rei publicae administratio commodo an detrimento civitati fuisset, tamen Aeschinem in neglectis legibus magnum causae firmamentum posuisse concedit. Quae cum ita essent, mea quidem sententia defensori accusationis *νόμιμον*, quod dicunt, nequaquam tam parvi aestimandum, sed ut de primo, ita de secundo *παρανόμῳ* copiosissime disputandum erat, praesertim qui ipse dilucide promisisset se actoris omnes ad unam criminationes refutaturum esse. Nam in § 17 dixerat: *βούλομαι δὲ καθ' ἓν ἕκαστον τῶν κατηγορημένων ἐξετάσαι* et in § 34: *ἀνάγκη ἐμοὶ πρὸς ἕκαστα τῶν κατηγορημένων μίκρ' ἀποκρίνασθαι* et in § 56: *περὶ πάντων ἐρῶ καθ' ἕκαστον ἐφεξῆς καὶ οὐδὲν ἑκὼν παραλείψω*. Et quisquam contendet minime esse mirandum, si Demosthenes, quem revera aliis locis argumenta Aeschinis vel minutissima reicere videmus, in §§ 120 et 121 promissis non stet ac ne uno quidem verbo de priore illa lege honoribusque exterarum civitatum loquatur? Quod autem Blassius censet ne interfuisse quidem audientium iuris quaestionem a Demosthene accuratius tractari, equidem hanc sententiam probare non possum. Nam defensor in § 110 satis aperte dixerat oportere se *πρῶτον μὲν ἐφεξῆς τοὺς περὶ αὐτοῦ τοῦ παρανόμου λόγους ἀποδοῦναι*. Itaque non est, cur per sequentes paragraphos intentionem animorum audientium divisam fuisse putemus. Sed illis ipsis, opinor, oratoris verbis animi omnium ad iuris quaestionem conversi erant, idque eo magis, quod Aeschines etiam atque etiam *τὸ παράνομον* praedicaverat et adversarios rogationem ipsam contra leges latam celeriter perstringere conaturos esse praedixerat. Identidem enim et affirmaverat Demosthenem cives *ἐξαπατήσειν* nec nihil *ἀντιδιαπλέξειν* et adversariorum fraudulentam actionem monstraverat, *τὰ ψευδῆ, τὰς τέχνας, τὰς κενὰς προφάσεις, ἃς προφασιοῦνται*. Quamobrem mihi quidem persuasum est Demosthenem haud ignorasse cum viros Graecos ad audiendam summorum oratorum contentionem congressos

1) L. c. p. 37.

suspensis animis exspectare, quid de iuris quaestione, in qua totius accusationis tamquam cardo vertebatur, responderet, tum se rem quam paucissimis absolventem de auxilio legum ipsum desperare videri. Mea igitur sententia dubitari non potest, quin illis de causis orator id caput, quod tractamus, non tam strictim attigerit, sed plura verba apud iudices fecerit, quam quae aetatem tulerunt.

Sed Frankius [1]) levitatem defensionis alio modo excusat. Dicit enim: „Die trügerische Interpretation, die Aeschines dem Gesetze gab, war so überraschend, Demosthenes war so wenig auf eine solche Auslegung vorbereitet, dass er lieber gar nichts darauf zu antworten vorzog". Haec vero sententia mihi a probabilitate quam maxime abhorrere videtur. Quamquam enim verisimile est Demosthenem legis interpretationem ab Aeschine prolatam non exspectasse, tamen e tota defensione intellegi potest oratorem ad permultas inopinatas adversarii criminationes respondisse, ad quas refellendas minime eum se praeparasse satis elucet. Praecipue autem per comparationem inter orationes illas institutam perspicitur in accusatione fere nullum locum inesse, ad quem Demosthenes non respondeat [2]), ac recte quidem praeter ceteros Reichius [3]) defensoris extemporalem facultatem magnis laudibus extulit. Quis igitur est, quin concedat Demosthenem uti alibi etiam in secundo παρανόμῳ tractando hanc facultatem et in promptu habuisse et adhibuisse, praesertim cum his in paragraphis de rebus multo gravioribus agatur quam aliis locis, quibus crimina eodem modo ex tempore ab eo depulsa esse negari non potest?

Ac Frankio ne ipsi quidem haec explicatio probabilis esse videtur, quoniam alteram quoque proponit, quam plus probabilitatis prae se ferre sine dubio ei persuasum est. Dicit enim potius se credere, „dass Demosthenes, der auf die ganze Sache

1) L. c. p. 379.

2) Cf. Schaefer. l. c. III 2 p. 72—75; Caemmerer. l. c. p. 4—16; Reich. in libro, qui inscribitur: Die Frage der sogenannten zweiten Redaktion der Reden vom Kranze p. 22—30. Cf. etiam huius dissertationis p. 45 sqq.

3) Ibidem p. 13—15, 32—34.

überhaupt wenig Gewicht legte, den Richtern überlassen wollte, Aeschines' Sophistik zu würdigen, und sich damit begnügte, sich einfach auf die klaren Worte des Gesetzes zu berufen". Sed etiam haec sententia non dubito quin plane reicienda sit. Nam faciamus Demosthenem hoc loco se ipsum legibus adiuvari pro certo habuisse. Debuitne tum ex nulla conscientia de culpa satis habere ad legum verba provocare? Nonne multo verbosius in Aeschinis malevolentiam audaciamque invehendum ei erat? Nonne oportebat eum et iudicibus et civibus adversarii callidam de *ξενικοῖς στεφάνοις* interpretationem dilucide aperire? Nihilo minus in oratione, quae ad nostram aetatem pervenit, Demosthenem levissimas rationes afferre videmus. Ea enim, quae de superioribus renuntiationibus in theatro factis profert, a re proposita maxime aliena sunt. Quod autem affirmat et nullius, qui coronetur, quidquam interesse, quo loco coronam accipiat, et in theatro ipsius tantum populi gratia praedicationes fieri, quam argute ac spinose ea dicta sint, manifestum est. Contra ad gravissima Aeschinis argumenta responsionem hodie reperimus nullam, sed nihil videmus nisi probra et convicia. Attamen Frankius aliique censent oratorem ipsum persuasum habuisse actorem, *τὸν τῶν νόμων καὶ τῆς πολιτείας φάσκοντα φροντίζειν*[1]), iniuria ad leges provocare. Et quisquam dubitabit, quin Demosthenes ratus illum falsa dixisse cum per totam orationem tum his in paragraphis maxime operam daturus fuerit, ut adversarium speciem defensoris legum prae se ferentem integumentis dissimulationis quasi evolveret? Equidem arbitror eum non solum iudices, ne mendaci isti homini fidem ullam haberent, admoniturum, sed etiam omnes, quos credidit, Aeschinis dolos satis aperturum fuisse.

Restat vero, ut examinemus sententiam priori plane diversam, quam alii viri docti ad explicandam miram defensionis brevitatem protulerunt. Caemmererus[2]) enim Demosthenem has res consulto brevissime attigisse censet, quippe quibus causa Ctesiphontis infirmior esset, Aeschinis vel plurimum

1) Cf. Dem. or. § 292.
2) L. c. p. 20.

valeret. Eodem modo Guttmannus[1]) Demosthenem dicit ad copiosam et satis subtilem Aeschinis dissertationem tam pauca eaque futtilia respondere, cum et prior lex et Dionysiaca adversario faveat. Ac ne Baerwinkelius[2]) quidem aliter sentit ratus Demosthenem, si potuisset, sine dubio responsurum fuisse uti alibi etiam hic gravissimis rationibus sententiisque; quod cum non fecerit, patere eum non habuisse, quae responderet. Horum autem virorum sententiam nos quoque amplexuros esse minime crediderim. Defensor enim Ctesiphontis causae diffisus nonne ipsa ratione permotus erit, ut rem pluribus verbis tractet, quam quae hodie legimus? Cuius quidem maxime intererat Ctesiphontem laesae legis absolvi. Nec vero fieri id potuit, si orator levitatis latebram adhibens sese ipsum de legum patrocinio desperare concessit. Etiam Baerwinkelius[3]) enim: „At non debuit"; inquit, „tam parvi aestimare tamque paucis absolvere id, in quo actor tantum momentum posuerat, nisi suspicionem movere volebat sese ipsum causae parum confidere. Quam suspicionem mihi quidem motam et omni, qua hic usus est, dicendi ratione valde auctam esse confiteor, in qua non tam neglegentia, quam trepidatio quaedam ac princeps festinatio eminere mihi videtur". Verissime. Sed qua de causa vir doctus postea de ea sententia aperte decedit? Cur traditam lectionem non modo non in dubium vocat, sed etiam Demosthenem de hac quaestione non aliter dixisse ac scripsisse asseverat[4])? Mea quidem sententia nihil impedit, quominus statuamus oratorem, conscium Aeschinem hoc loco superiorem esse, tamen summis viribus Ctesiphontis causam defendisse. Neque enim ignarum eum fuisse *τοῦ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν* cum ex aliis orationibus Demosthenicis tum e Ctesiphonteae paragraphis 111—119 intellegere possumus. Quibus in paragraphis orator Aeschinis argumentationem ex euthynis ductam callide a se avertere vult, affirmans non ob munera et theoricorum

1) L. c. p. 45.
2) L. c. p. 68.
3) L. c. p. 63.
4) L. c. p. 68.

et moenium reficiendorum a se administrata Ctesiphontem rogationem tulisse, sed ob beneficia ultro civitati tributa; voluntariarum vero impensarum rationes reposci non posse. Quibus verbis Demosthenem non tam argumenta, quam cavillationes argutiasque proferre inter viros doctos convenit. Quamquam enim et Stechowius [1]) nimis inique iudicat defensorem facultate in commodum vertendi Aeschini tanto magis praelucere, quanto hic inferior illo exstiterit orator, et Spengelius in libro supra laudato [2]) Demostheni debitam laudem detrahit probare studens Ctesiphonteam esse „ein Meisterstück der Sophistik", rursus, ut ceteros omittam, ne Blassius [3]) quidem negat oratorem in §§ 111—119 facere non posse, quin sophistice argumentetur. Difficile igitur est intellectu, cur in §§ 120 et 121 causam inferiorem reddere superiorem non conatus sit. Equidem contra censeo tantum abesse, ut priorem legem exterosque honores silentio praeterierit, ut hoc quoque argumentum copiosius calumniisque adhibitis in iudicio tractaverit.

§ 3. Quibus explicationibus examinatis progrediamur ad sententias eorum, qui concedunt quidem Demosthenis defensionem ab Aeschinis argumentatione quam maxime abhorrere, attamen illius verba integra ad nostram aetatem venisse opinantur.

Multis enim viris doctis persuasum est defensionis exilitatem non aliter explicari posse ac si Aeschinem apud heliastas non eadem argumenta, quae nunc legimus, protulisse statuamus. Ac primum quidem Dissenius [4]) arbitratus Demosthenis verba *τῶν* (sc. *νόμων*) *ἀφαιρῶν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγιγνώσκεσθαι* ad adversarii Dionysiacae legis interpretationem pertinere, Aeschinem exceptionem huius legis orationi demum post iudicii diem litteris mandandae adscripsisse censet. Nam „videri potest Aeschines", inquit, „cum in iudicio diceret, omisisse totam exceptionem legis et postea demum, cum ederet

1) De Aeschinis oratoris vita p. 14.
2) Cf. p. 95.
3) Att. Ber. III 1² p. 425.
4) L. c. p. 291.

orationem, reperta callida interpretatione de ξενικοῖς στεφάνοις hanc partem sic, ut legimus, elaborasse: quo posito intellegas, cur Demosthenes hic nihil respondeat de interpretatione ista, quam non audivisset". Hanc vero causam esse, quod Demosthenes adversario obiciat eum partes legum amputasse, iam Frankius [1]) negat dicens: „Unmöglich ist dies nicht, aber ganz unwahrscheinlich, da Aeschines die beiden Gesetzwidrigkeiten, die in dem Antrage, einen Rechenschaftspflichtigen im Theater zu bekränzen, zu liegen schienen, im Gegensatz zum Demosthenes von vornherein für viel zu wichtig ansieht, als dass er nicht einen so nahe liegenden Einwand des Gegners im Voraus bedacht haben sollte". Profecto. Satis enim apparebat cum iudices tum Demosthenem ipsum exceptionem illam esse omissam statim et perspecturos et patefacturos esse. Sed quid omnino fuisse Dissenius putat, cur Aeschines legem illam hac ratione decurtatam afferret? Num credibile est, id quod vir doctissimus contendit, eum in iudicio non habuisse, quemadmodum exceptionem legis in suam partem interpretaretur? Minime. Nam subtilissimam de Dionysiaca lege disquisitionem Aeschines ideo solum instituerat, ut ad legis exceptionem provocare adversariis non licere demonstraret. Quodsi ipsam legem Dionysiacam apud iudices tractavit, dubitari non potest, quin exceptionem quoque protulerit.

Nec vero desunt, qui Aeschinem totius legis in causa mentionem non fecisse, paragraphos autem 35—48 postea demum per figuram ὑποφορᾶς sive subiectionis adiecisse censeant. Qua figura accusatores antiqui saepissime utebantur, ut ita adversarii argumenta praeoccuparent atque antea diluerent. Constat vero inter omnes in Aeschinis oratione Ctesiphontea nonnullas subiectiones reperiri, quas non ante litem inventas et apud iudices prolatas, sed retractandae demum accusationi insertas locisque quibusdam Demosthenis oppositas esse apparet. Toto igitur genere ut in aliorum sic in Aeschinis orationibus verae quidem et prius compositae anticipationes disiungendae sunt ab eis, quae adversario furtim abreptae ac postea demum

1) L. c. p. 379.

adscriptae sunt. Illarum subiectionum multa exempla iam Westermannus [1]) ponit; has ut exemplo confirment, haud pauci locum, quem tractamus, afferunt negantque Aeschinem in accusatione habita legem Dionysiacam ullo modo praecavisse. Kirchhoffius [2]) enim: „Sodann", inquit, „lehrt die Vergleichung der Demosthenischen Erwiderung mit der Behandlung dieses Punktes bei Aeschines § 32—48, dass entweder letzterer diesen Teil seiner Rede bei Gelegenheit der Schlussredaktion für die Herausgabe einer durchgreifenden Umarbeitung unterzogen hat, um die bei der öffentlichen Verhandlung erlittene Schlappe wohl oder übel zu verdecken, wobei Demosthenes' Rektification beherzigt, aber zugleich durch eine sophistische Deduktion unwirksam zu machen in ziemlich ungeschickter Weise versucht wäre, oder Demosthenes vor Gericht diesen Punkt gar nicht oder doch in ganz anderer Weise behandelt hat, als dies in dem vorliegenden Texte geschieht". Quarum trium coniecturarum Kirchhoffio ipsi secundo loco proposita summam veri speciem habere videtur. Putat enim de iuris quaestione non a Demosthene, sed a Ctesiphonte disputatum, paragraphos autem 120 et 121 — una cum antecedentibus a § 53 — Demosthene mortuo a redactore quodam orationi pro Ctesiphonte habitae insertas esse. Nihilo minus eum concedere vidimus locum, quem tractamus, etiam aliter explicari posse. Ac revera primam illam explicandi viam complures homines docti ingressi sunt. Nam Spengelius [3]), vir ille doctissimus, dicit: „Die ganze Stelle über den *νόμος Διονυσιακὸς* 35—48 hat Aeschines vielleicht erst später als *προκατάληψις* seiner Rede beigegeben, nachdem er im Gerichte erfahren, dass Demosthenes aus diesem seine Verteidigung führte; daher die Erklärung, dass dieser hier keine Anwendung finde". Atque apud Halmium [4]), cui non satis erat, sententiam supra (p. 11) examinatam protulisse, scriptum videmus: „Da das Plaidoyer über das dionysische

1) De Aeschinis oratione adversus Ctesiphontem p. 16 sqq.
2) L. c. p. 63.
3) L. c. p. 61.
4) L. c. p. 15 sq.

Gesetz bei Aeschines wenigstens nach unserem Urteil ein durchaus hohles und bodenloses ist, so gewinnt die schon früher ausgesprochene Vermutung, dass er diese ganze Partie erst später in seine Rede eingeschoben habe, sehr an Wahrscheinlichkeit. Den Rhodiern mochte Aeschines ein langes und breites darüber vorschwätzen, wie es zu Athen mit den *ξενικοὶ στέφανοι* gehalten werde; einem Demosthenes hätte es sicherlich nicht an dem verdienten Spott und Hohn über ein solches Gewebe von Sophismen gefehlt". Apparebit vero virorum clarissimorum opinionem infirmioribus fundamentis niti, quam quibus fides habenda sit. Ac primum quidem si illorum sententiam sequeremur, demptis paragraphis 35—48 totius partis, ut iam Roemheldtius[1]) recte iudicavit, nimia brevitas suspiciosa esset. Nam Aeschines per antecedentes 23 paragraphos de reddendis munerum rationibus egerat et Ctesiphontem contra leges rogasse satis demonstraverat. Quoniam autem ad argumentationem confirmandam huic *παρανόμῳ* alterum de coronae renuntiatione addidit, mea quidem sententia quin etiam id argumentum uberius fusiusque tractaverit nec per tres paragraphos (32—34) absolverit dubitari non potest. Ac sunt, qui Aeschinem in causa de Dionysiaca lege disputasse vel ex eo colligendum esse putent, quod Demosthenes in §§ 120 et 121 adversarii legis interpretationem paulo antea auditam reicere videatur. Equidem cum ad hanc sententiam minime accedam, hoc loco quod accuratius in rem inquiram, non habeo, sed infra (p. 25 sqq.) eam quaestionem denuo aggrediar. Alias vero utriusque orationis locos hic afferri posse non nego. Exempli causa in Demosthenis Ctesiphonteae § 111 legimus: *τῶν μὲν οὖν λόγων, οὓς οὗτος ἄνω καὶ κάτω διακυκῶν ἔλεγε περὶ τῶν παραγεγραμμένων νόμων, οὔτε μὰ τοὺς θεοὺς ὑμᾶς οἶμαι μανθάνειν οὔτ' αὐτὸς ἐδυνάμην συνεῖναι τοὺς πολλούς*, quibus ex verbis Aeschinem de duobus illis *παρανόμοις*, et de rationibus reddendis et de coronae praedicatione, longe lateque apud heliastas dixisse elucet. Eodemque modo quod actor in § 204, quo loco cursum argumentationis paucis adumbrat: *δεύτερον*, inquit,

1) L. c. p. 35.

δ' ὑμῖν διεξῆλθον τοὺς περὶ τῶν κηρυγμάτων νόμους, Reichius [1]) haud male adnotat ex plurali illo τοὺς . . . νόμους conici posse oratorem duarum legum, et prioris et Dionysiacae legis, mentionem fecisse. Sed remotis his omnibus quin totum, quod ad nostram aetatem venit, caput de coronae renuntiatione ab Aeschine apud iudices oratum sit, dubitari non potest propterea, quod actor cum permulta alia eorum, quae Demosthenes in causa dicturus esset, tum adversarios ad Dionysiacam legem provocaturos esse necessario quidem praesenserat. Nam Aeschines causidicus fuit in rebus forensibus versatus ac scientia iuris excellens, qui scribae quondam munere functus leges saepissime recitaverat nec parum cognoverat. Ex quo autem ipse in suggestis constiterat, multis in orationibus non modo sua confirmans, sed etiam argumenta, quibus adversarius uti posset, praeoccupans atque irrita faciens virum iuris et legum peritissimum se praebuerat. Itaque non intellego, cur hoc loco eum adversariorum argumenta divinando invenisse negandum sit, praesertim cum Demosthenem ad Ctesiphontem excusandum legem Dionysiacam allaturum esse aliis quoque rationibus praenoscere ei liceret. Apparet enim Aeschinem, quae ab adversariis exspectare posset, etiam per amicos accepisse atque in iure audivisse. Nam verisimile est ante causam actam cum ab civibus Atheniensibus tum a multitudine hominum, qui ad iudicium e tota Graecia convenerant [2]), publice et privatim de lite sermones habitas ac de argumentis, quibus litigantes essent usuri, in utramque partem disputatum esse. Quibus in sermonibus Dionysiacam quoque legem prolatam Aeschinemque ab amicis de ea monitum esse, quis est, qui neget? Quin etiam de hominibus quibusdam loquacibus vel perfidis cogitari potest, qui Demosthenis rationes ad adversarium pertulerint quosque Westermannus [3]) vocabat „Zwischenträger". Quamquam enim fieri non potuit, ut litigantes, quippe quos adversariorum insidias artesque cavere semper opus esset, eiusmodi

1) D. Fr. d. sog. zw. Red. d. R. v. Kr. p. 43.
2) Cf. Aesch. or. § 56. Cic. de opt. gen. or. 7, 22. Brut. 89.
3) Dem. or. ed. Weidm. introd. p. 11[5].

verbis sine ulla dubitatione fidem haberent, tamen credibile est per illos homines, si non omnia, at aliqua alterius argumenta ad alterum perlata esse. Accedit, quod non modo fando audire, sed etiam ex adversarii libello ad magistratum delato et Demosthenes et Aeschines, quae sibi in causa refutanda forent, haurire potuerunt. Constat enim ex iure Attico dica alicui scripta ab iudicibus diem ad instruendam litem constitutam esse, qua in anacrisi accusator quidem *γραφὴν*, reus *ἀντιγραφὴν* iureiurando firmarent. Hac autem in iudicatione ab utraque parte cum testimonia tabulaeque tum leges, quibus pro se quisque nitebatur, afferebantur et magistratui tradebantur [1]), ita ut Aeschines vel in anacrisi, quam ad legem Demosthenes provocaturus esset, neutiquam non praenosceret. Conscius igitur argumentorum et eorum, quae adversarius in iudicio afferre, et illorum, quae ipse opponere posset, Aeschines legem Dionysiacam apud heliastas nec silentio praeteriisse putandus est nec revera praeteriit.

§ 4. Quare ne ea quidem ratione tollitur difficultas, quae inest in Demosthenis Ctesiphonteae §§ 120 et 121. Quoquo autem nos verterimus, ut oratoris breviloquentiam probabiliter explicemus, non tamen ad aliam coniecturam adducemur nisi ad alterutram illarum a Kirchhoffio secundo tertioque loco propositarum [2]). Nam quoniam ex eis, quae adhuc dicta sunt, satis intellegitur non modo Demosthenis miram defendendi rationem ab actoris argumentis plane abhorrere, sed etiam Aeschinis adversarios meliora verba apud iudices fecisse, quam quae hodie legimus, restat ut quaeramus, Demosthenes in causa utrum secundum *παράνομον* aliter tractaverit an totam eam defensionis partem mandaverit Ctesiphonti.

Kirchhoffius enim, ut supra (p. 18) commemoravimus, Demosthenem in iudicio de coronis renuntiandis prorsus tacuisse putat. Cui quidem persuasum est orationem Ctesiphonteam, quam in manibus habemus, Demosthene mortuo ab editore

---

1) Cf. ea, quae de hac re disserunt Lipsius: Der attische Process II p. 865 sqq.; Schoemann.: Griechische Altertümer I[4] p. 528 sq.

2) Cf. supra p. 18.

quodam ex duabus orationibus conflatam esse, repertis inter scidas hereditate relictas. Alteram Olympiadis CXI anno primo vel secundo conscriptam ex §§ 3, 4, 8, 53 extr. —121 constare, nonnullis paragraphis exceptis, quibus ad Aeschinis accusationis locos quosdam respondeatur, alteram post iudicium litteris mandatam paragraphos 1, 2, 5—7, 10—52, 122—324 complecti. Hanc partem orationis vocavit „die jüngere Ausarbeitung" vel „die Niederschrift der vor Gericht gehaltenen Rede", illam scriptam ante diem iudicii „das Konzept" vel „den ursprünglichen Entwurf". Cui primae recensioni in causa non prolatae paragraphos quoque 120 et 121 attribuit itaque apud iudices non a Demosthene, sed a Ctesiphonte de legibus dictum esse affirmat. Ante Kirchhoffium autem etiam Rauchensteinius [1]) ad Ctesiphontis oratiunculam confugerat et reum ipsum de iuris quaestione litisque dilatione disputasse probare studuerat. Qui vir doctissimus paragraphos, quas tractamus, in dubium non vocat, oratorem vero Ctesiphontem huius partis defensionis socium habuisse opinatur. Cuius enim magis quam Demosthenis fuisse de his rebus dicere, quia ad illum potius pertinuerit disputatio de legibus et earum rerum reprehensio, quibus fortasse Aeschines in actione ad iudicem deferenda et in causa priusquam peroraretur agenda vituperationem commeruisset. Ac sane quidem Ctesipho suam orationem Demosthenicae praemisit, id quod ex iure Attico fieri debebat quodque in hac causa factum esse et ex aliis Aeschinis orationis locis et e § 201 cognoscere possumus, ubi scriptum videmus: *ἐπειδὰν προελθὼν ἐνταυθοῖ Κτησιφῶν διεξέλθῃ πρὸς ὑμᾶς τοῦτο δὴ τὸ συντεταγμένον αὐτῷ προοίμιον, ἔπειτ' ἐνδιατρίβῃ καὶ μὴ ἀπολογῆται, ὑπομνήσατ' αὐτὸν ἀθορύβως τὸ σανίδιον λαβεῖν καὶ τοὺς νόμους τῷ ψηφίσματι παραναγνῶναι.* Quod autem Rauchensteinius censet Ctesiphontem in oratiuncula de iuris quaestione egisse ideoque Demosthenem de ea tam pauca et futtilia respondere, haec sententia mihi a probabilitate longissime abesse videtur. Nam Demosthenes in § 5 exposuerat communem

1) De tempore, quo Aeschinis et Demosthenis orationes Ctesiphonteae habitae sint, p. 12.

esse causam sibi et Ctesiphonti et non minore sollicitudine sibi defendendam. De omnibus igitur accusationis capitibus verba facturus ad *νόμιμον* quoque accedit, tamquam ipse accusatus sit. Nec vero intellegitur, cur hanc partem tractet, si antea iam tractavit Ctesipho. Immo apparet, haec si ita fuissent, Demosthenem cauturum fuisse, ne has quaestiones graves incommodasque iterum attingeret. Itaque probabilior Kirchhoffii sententia videatur, qui solum Ctesiphontem de legibus disputasse arbitretur. Dicit enim [1]: „Ktesiphon und Demosthenes teilten nach gemeinsamer Verabredung das Geschäft der Verteidigung in der Weise unter einander, dass der erstere lediglich den juristischen, Demosthenes ausschliesslich den politischen Teil der Aufgabe zu behandeln und damit recht eigentlich seine eigene Verteidigung zu führen übernahm". Quam coniecturam acute inventam uti alii viri docti, sic Baerwinkelius neglexisse mihi videtur, qui Kirchhoffii verba [2] „dass Demosthenes vor Gericht diesen Punkt gar nicht behandelt hat" eo modo interpretetur [3], quasi vir ille clarissimus quaestionem de renuntianda corona in iudicio omnino non attactam esse affirmet, id quod nimirum nemo unquam contendit. Ceterum etiamsi conceditur Kirchhoffii rationem difficultatem tollendi sagaciter excogitatam esse, fieri non potest, ut sententiam eius amplectamur. Nam primum iam Westermannus [4] monet Aeschinem ipsum in paragrapho illa 201 [5] orationem Ctesiphontis *προοίμιον* appellare, sine dubio propterea quod argumentis ac rationibus careat; brevem igitur allocutionem fuisse concludit compositam ad praeparandos captandosque animos iudicum. Atque Ctesiphontem in ea etiam causas productae litis tractasse haud scio an recte suspicentur Rauchensteinius et Baerwinkelius. De legibus quidem Ctesipho in oratiuncula non dixit, praesertim cum difficile sit intellectu, quid de ea quaestione disputare potuerit, cum ipse Demosthenes aegre eam tueatur. „Und wenn Demosthenes",

1) L. c. p. 84.
2) Cf. l. c. p. 63.
3) L. c. p. 67.
4) Zeitschrift für die Altertumswissenschaft 1835, p. 1214.
5) Cf. supra p. 22.

inquit Foxius [1]), „alle Mittel seiner Kunst aufbieten zu müssen glaubte, um den gefährlichen Punkt von allen Seiten zu stützen und zu verschanzen, wie hätte er dann dem Ktesiphon gestatten können, denselben ohne dergleichen Vorsichtsmassregeln zu behandeln und dadurch die ganze Sache entschieden zu compromittieren!“ Neutiquam igitur putari potest Demosthenem Ctesiphonti eam partem defensionis mandasse, quae adversario fundamentum totius accusationis praebuerat. Praeterea autem si socium eum sibi adiunxisset, de hac re in oratione pro Ctesiphonte habita non tacuisset, sed causas explicasset. Tantum vero abest, ut hoc faciat, ut in §§ 1 et 2 repugnans ordini defensionis ab Aeschine postulato satis demonstret se ipsum de iuris quaestionibus — eo videlicet loco, quo velit — dicturum esse. Deos enim precatur, ne iudices adversarium, qua ratione defensor audiendus sit, in consilium adhibeant, sed leges et iusiurandum, in quo praeter alia aequissima omnia et hoc scriptum sit, utrumque eodem animo esse audiendum. Huius autem vocis non eam solum vim esse, ne ullum praeiudicium afferatur, nec solum ut par benevolentia tribuatur, sed illam, ut et ordine et defensione, quali certantium quisque velit atque instituerit, sic uti sinant. Quae verba cum intellegere non possimus, nisi Demosthenem in iudicio de legibus egisse statuamus, Kirchhoffii sententiam improbabilem esse iterum luculentissime apparet. Demosthenes igitur ipse de παρανόμῳ, quod tractamus, disputavit, alia autem verba fecit, ac quae aetatem tulerunt.

§ 5. Omnibus illis rationibus percensitis et expensis nihil opinor est, quod impediat, quominus Demosthenem apud heliastas et de tota iuris quaestione et de priore illa lege honoribusque exterarum civitatum dixisse pro certo affirmemus. Atque etiam Baerwinkelium ad hanc coniecturam bis adductum video: primum [2]) enim sententia Halmii reiecta arbitrati Aeschinis verba de Dionysiaca lege postea demum adscripta esse, iterum [3]) in tractatione sententiae Kirchhoffianae, ubi legimus: „Paulo

1) L. c. p. 228.
2) L. c. p. 65.
3) Ibid. p. 67.

probabilior videatur altera, quam profert coniectura: Demosthenem coram iudicibus rem aliter tractasse, quam nunc fit in oratione tradita". Sed et hic et illic Baerwinkelius via decedit. Nam illo loco: „Videmus igitur", inquit, „Halmii sententiam probari non posse; immo, si vere tale effugium mihi opus videretur, nescio an potius crederem Demosthenem eiecisse quaedam postea, cum ederet orationem, quae quam debilia essent, ipse sensisset". Atque hoc loco ne eum quidem, qui defensionem uberiorem fuisse coniciat, Demostheni quidquam prodesse dicit. „Nam", ait, „hoc si vellemus, fieri vix posset, quin statueremus textum commutatum et amputatum esse ab ipso oratore; hunc autem expunxisse nisi quae debilia nimis esse et facile refutari posse videbantur, quis credat?" Verissime. Quaecunque eorum, quae in iudicio dicta erant, in traditis paragraphis 120 et 121 non reperiuntur, mihi quoque persuasum est nisi propter defensionis debilitatem suppressa non esse. Nec vero minus elucet Demosthenem, si orationem Ctesiphonteam foras dans responsionem de vetustiore lege exterisque coronis ipse omisisset, hunc locum statim melioribus verbis suppleturum fuisse. Id autem in oratione, quam in manibus habemus, adeo non factum est, ut verba illa sine dubio debilia, quae Demosthenes de legibus ab Aeschine tam fuse tractatis fecerat, plane sint praetermissa. Apparet igitur neque ipsum Demosthenem hanc partem suppressisse et orationem pro Ctesiphonte habitam, quae ad nostram aetatem pervenit, locis quibusdam alia verba praebere, ac quae orator in causa dixerit et causa finita evulgaverit. Ergo ad sententiam illam prolabimur a Kirchhoffio primo propositam, qui Demosthenis de corona orationem e duabus recensionibus conglutinatam esse censet. In ea autem quaestione semper id agitur, utrum verba tradita ad orationem apud heliastas habitam an ad commentarium scriptum ante diem iudicii pertineant. Qua de causa etiam nobis quaerendum est, num in §§ 120 et 121, quippe quarum verba, quae nunc legimus, in iudicio dicta non esse intellexerimus, responsio insit antea composita.

Atque equidem, ut supra (p. 19) dixi, sententiam eorum, qui Demosthenem §§ 120 et 121 nisi adversarii argumentatione

audita dicere vel scribere non potuisse putant, a probabilitate quam maxime abhorrere arbitror. Quamquam enim, id quod permulti viri docti recte adnotant, verba, quae aetatem tulerunt, responsionem praebere videntur ex tempore dictam post auditam Aeschinis orationem, nihil tamen video, quod nos e Demosthenis verbis hanc coniecturam facere cogat. Nam sophisticas explicationes de honoribus renuntiationis in theatro faciendae Demosthenem ante causam actam praeparare potuisse nemo negabit. Probra autem et convicia, quae omnibus locis invenimus, orator sine dubio semper in expedito habuerit. Itaque agitur de solis Demosthenis verbis: *ἀλλ' οὐδ' αἰσχύνει . . . νόμους μεταποιῶν, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγιγνώσκεσθαι τοῖς γ' ὀμωμοκόσι κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι.* At ea ipsa verba, quae ab antiquissimis temporibus usque ad hunc diem viris doctis gravissimam molestiam exhibuerunt, mea sententia ad Aeschinis orationem ne spectant quidem ideoque nisi ante diem iudicii scripta esse non possunt. Nam accuratius in rem inquiramus.

Demosthenes quaerit ex adversario, nonne erubescat leges depravare et decurtare, quas integras iudicibus recitari oportuerit. Quod quo iure Aeschini obiciat, ex legibus in codicibus traditis intellegere non possumus, quippe quas supposita et postea demum insertas esse satis constet. Sed defensor ipse ostendit, quam ad partem legum ab adversario omissam provocet, dicens: *ἀκούεις, Αἰσχίνη, τοῦ νόμου λέγοντος σαφῶς, πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται· τούτους δ' ἀναγορευέτω.* Nec mirum est, cum Demosthenes clausulam legis recitatae tam distincte repetat, multos non dubitare, quin Aeschines fraudem conceperit, neque aliter sentire ac Westermannum [1]), apud quem legimus: „Die Sicherheit, mit welcher D. dem A. entgegentritt, ihm Verdrehung und Verstümmelung der zu verlesenden Gesetze Schuld gibt und unmittelbar nach Verlesung des angezogenen Gesetzes die Worte *πλὴν — ψηφίσηται* (nämlich *ἀναγορεύεσθαι ἐν τῷ θεάτρῳ*) aus demselben hervorhebt, macht es äusserst glaublich, dass A. hier eine Unredlichkeit begangen

1) Dem. or. ed. Weidm. adn. ad § 121.

und entweder dem Gesetze eine falsche Deutung gegeben oder den von D. angeführten Passus desselben unterschlagen habe". Potuitne vero Demosthenes ratus Aeschinem legem Dionysiacam falso interpretatum esse aut exceptionem legis reticuisse in verbis traditis acquiescere? Nonne supra cognovimus defensorem, si adversario talia obicere voluisset, planius explicatiusque dicturum et iudicum civiumque animos ad adversarii fraudem claris verbis adversurum fuisse? Mea quidem sententia nihil habemus, cur propter haec obscura Demosthenis verba actorem leges mutasse aut mutilasse putemus, praesertim cum ne excogitare quidem possimus, quid Aeschines in oratione suppresserit. Nam exceptionem illam, quam Demosthenes tam magna voce praedicat, adversarius neutiquam omittit, sed tribus locis affert, in paragraphis et 36 et 47 et 48. Quibus locis Aeschines de legis Dionysiacae exceptione uberius disputat atque exponit eandem de coronis a populo decretis non intellegendam esse. Minime igitur viris illis doctis assentiri possum, qui veluti Dissenius [1]), Baerwinkelius [2]), Guttmannus [3]), Reichius [4]) verborum illorum *νόμους μεταποιῶν, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγιγνώσκεσθαι* priora ad vetustiorem legem pertinere, posteriora autem propter Dionysiacam legem dicta esse suspicantur. Nam quomodo Demosthenes Aeschini eum priorem legem depravasse, Dionysiacam autem decurtasse obicere potuerit, minime perspicuum est: defensor non solum ne probare quidem potest ea, quae adversario crimini dat, sed actor etiam cum utramque legem apud heliastas recitat [5]) et pertractat tum de clausula illa multis verbis loquitur. At Dissenius [6]) Aeschinem exceptionem legis Dionysiacae in iudicio omissam postea demum adscripsisse huiusque fraudis Demosthenem adversarium incusasse opinatur. Optimo autem iure nos quoque actorem obiurgare posse affirmat, cum etiam nunc omittatur aliquid ab Aeschine,

1) L. c. p. 291.
2) L. c. p. 64 et 68.
3) L. c. p. 40.
4) D. Fr. d. sog. zw. Red. d. R. v. Kr. p. 26.
5) Cf. Aesch. or. §§ 32 et 47.
6) L. c. p. 291.

qui pro his: *πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται* dicat: *ἐὰν μὴ ὁ δῆμος ψηφίσηται*. Atque ad haec praeterita verba *ἢ ἡ βουλὴ* Roemheldtio [1]) quoque Demosthenis verba spectare videntur. Nec vero dubium est, id quod supra (p. 17) exposui, quin actor exceptionem iam apud heliastas protulerit. Quod autem additamentum illud *ἢ ἡ βουλὴ* apud Aeschinem non invenitur, ipse Roemheldtius nihil interfuisse censet haec verba esse omissa, ac ne Frankius [2]) quidem negat Demosthenis verba eo referri non posse dicens: „Auf diese Weglassung die Worte *τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη* zu beziehen, woran Dissen erinnert, dazu scheint der Gegenstand zu geringfügig, wenigstens wissen wir keinen erheblichen Grund mit einiger Bestimmtheit anzugeben, welcher Aeschines bestimmt haben könnte, *ἢ ἡ βουλὴ* wegzulassen". Quamobrem Baerwinkelius [3]) Demosthenis crimen ita explicare vult, ut verbis ab Aeschine in § 44 allatis non totam legem Dionysiacam, sed modo partem eius contineri putet. Nec vero capio, ea coniectura quo spectet. Vir enim doctus actorem eam tantum legis partem recitasse ac tractasse affirmat, qua adversarios se defensuros esse exspectasset. Demosthenes autem his ipsis argumentis usus quid, quaeso, adversario posset crimini dare? Cum enim ceteras legis condiciones, quas Aeschines omisit, ad rem nihil valuisse ipse Baerwinkelius exponat, non perspicitur, cur Demosthenes ad alias quasdam legis Dionysiacae partes provocaverit, quae nullius momenti et a re proposita plane aliena fuerint. Itaque proposuit aliam sententiam Rabius [4]), apud quem scriptum videmus: „Diese Worte (sc. *νόμους μεταποιῶν κτλ.*) hat man bisher noch nicht richtig aufgefasst: sie beziehen sich auf Aesch. § 45". Sed quo iure id statuendum sit, nec vir doctus ipse disserit neque alius quisquam intelleget. Cum autem in libro eius litterae verborum et Demosthenicorum *νόμους* et *ἀφαιρῶν μέρη* et Aeschineorum *νόμῳ* et *ταῦτα ἀφέλῃ* latius

1) L. c. p. 35.
2) L. c. p. 382.
3) L. c. p. 69.
4) Die Redaktion der Demosthenischen Kranzrede p. 37.

diductae sint, haud scio an vir doctus putet ex verbis illis *νόμος* et *ἀφαιρεῖν* ab utroque oratore collocatis illum locum ad hunc pertinere concludendum esse. Sed utut id est, ea coniectura tam miro nititur fundamento, ut de ea nihil amplius dicendum esse censeam.

Cum igitur Aeschines neque in iudicio neque in oratione tradita fallaciam in legibus afferendis fecerit, non multum a veritate aberrabimus, si Demosthenem verba quae tractamus, id quod supra suspicatus sum, in causa non dixisse statuemus. Nam si apud heliastas dicta essent, non caperetur, quo essent referenda. An putas probabilem esse alterutram sententiarum illarum, quas Blassius Kirchhoffium secutus et Foxius ad hunc locum interpretandum proposuerunt? Quas explicationes si quis accuratius inspexerit, sine dubio improbabiles eas intelleget. Attamen priusquam defensoris verba in causa dicta esse negemus, nos etiam has coniecturas examinari oportet.

Ac primum Kirchhoffius et Blassius miro errore capti sunt arbitrati legem illam, quam Demosthenes recitari iubet, ne eandem quidem esse, quae ab Aeschine in §§ 35—48 tractetur, exceptionem autem *πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται· τούτους δ' ἀναγορευέτω* cum vetustiore, non cum Dionysiaca lege coniungendam esse. Kirchhoffius[1]) enim ex Demosthenis §§ 120 et 121 elucere dicit, „dass Aeschines in seiner Klageschrift seine Behauptung durch eine einzige Gesetzesstelle gestützt, dabei aber durch absichtliche oder unabsichtliche Weglassung eines sehr wesentlichen Passus derselben, nämlich der Worte *πλὴν κτλ.* die Sache völlig auf den Kopf gestellt hatte". Nec vero mirum esse Aeschinem in libello unam tantum legem attulisse Baerwinkelius[2]) bene demonstrat. Apparet enim actorem una illa priore lege nisum legem Dionysiacam in libello non videlicet adhibuisse. Ac ne in iudicio quidem eam protulisset, nisi ostendendum fuisset eandem *οὐδὲν ἐπικοινωνοῦν τῷ περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανουμένων νόμῳ* itaque adversariis in defensione ea uti non licere. Nec vero simulavit Aeschines,

1) L. c. p. 63.
2) L. c. p. 66.

id quod contendit Blassius[1]), adversarios ad legem Dionysiacam provocaturos esse, sed illi profecto eam defenderunt. Nam quod Blassius[2]): „Nach dem", inquit, „was D. § 121 sagt: *νόμους μεταποιῶν, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη*, scheint mir die Sache einfach so zu liegen, dass A. das von ihm § 32 angezogene Gesetz (*ἐὰν μέν τινα στεφανοῖ ἡ βουλή κτλ.*) um den Zusatz: *πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται* verstümmelt", haec sententia plane prava mihi videtur. Cum enim Demosthenes in §§ 120 et 121 de nulla alia re dicat nisi de coronis in theatro renuntiandis, legem quoque recitatam ad renuntiationem in theatro faciendam pertinuisse oportet. Qua de causa lex a Demosthene allata minime vetustior illa fuisse potest, qua populus se obstrinxerat, ut coronas nusquam nisi in contione praedicaret. Demosthenes igitur Aeschini eum Dionysiacam, non priorem legem mutilasse obicit. Blassius vero si ad sententiam fulciendam defensorem clausulam breviter complexum esse affirmat ideoque exceptionem suo sensu amplificat eo modo, ut etiam theatri mentio fiat[3]), ex libidine ipsa agit. Nam Demosthenes tantum abest, ut clausulam comprehendat, ut contra verba illa praeponat: *ἀκούεις, Αἰσχίνη, τοῦ νόμου λέγοντος σαφῶς*. Accedit, quod Blassii sententiam si sequeremur, Aeschinis de Dionysiaca lege disputatio cum supervacanea foret tum ne intellegi quidem posset. Nec vero dubium est, quin Demosthenes, si actor divinatione deceptus de hac lege disputasset, acerbis facetiis adversarium irrisurus et sugillaturus fuerit. Praecipue autem omnino credi non potest Aeschinem priorem illam legem, quae fundamentum accusationis praebuit, tali modo decurtasse. Quae fraus et libello tradito et in anacrisi et in ipso iudicio statim aperta esset. Bene enim adnotat Foxius[4]): „Welchen Begriff müssten wir uns vom athen. Gerichtswesen machen, wenn es dem Ankläger auch nur absolut möglich gewesen wäre, im kurzen und sicher allbekannten ersten Gesetze unter den *παραγεγραμμένοι νόμοι*, auf Grund deren die Einleitung des Prozesses,

1) Att. Ber. III 2^2 p. 214; Dem. or. ed. Teubn. introd. p. 13.
2) Att. Ber. III 1^2 p. 424 adn. 6.
3) Cf. Att. Ber. III 2^2 p. 213.
4) L. c. p. 314.

die Anklage und die richterliche Untersuchung und Entscheidung erfolgte, gerade den Teil wegzulassen, auf welchen alles angekommen wäre!“ His igitur argumentis Blassii coniecturam refelli censeo optimeque probari sententiam ceterorum omnium hominum doctorum, qui et Aeschinem et Demosthenem Dionysiacam legem tractare statuunt [1]). Quoniam autem ne ea quidem ratione verba *νόμους μεταποιῶν, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγιγνώσκεσθαι* explicantur, restat ut Foxii sententiam examinemus. Qui vir doctissimus [2]) Demosthenem non modo Dionysiacam, sed etiam priorem legem censet recitari iussisse easque leges in unam coniunctas: *ἐὰν μέν τινα στεφανοῖ ἡ βουλή, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ἀνακηρύττεσθαι, ἐὰν δὲ ὁ δῆμος, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ· μηδ' οἰκέτην ἀπελευθεροῦν ἐν τῷ θεάτρῳ, μήθ' ὑπὸ τῶν φυλετῶν ἢ δημοτῶν ἀναγορεύεσθαι στεφανούμενον, μήθ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς, ἢ ἄτιμον εἶναι τὸν κήρυκα, ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος* aut *πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται* (*τούτους δ' ἀναγορευέτω*). Quo artificio ab audientibus neglecto Demosthenem causam suam maxime fulturum fuisse manifestum est. Nam exceptio compositae huius legis uti ad secundam, ita ad primam eius partem pertinuisset; orator igitur iure quidem adversarium leges mutasse et mutilasse affirmare visus esset. Attamen Foxii coniectura plane improbabilis est. Nam leges illas nisi per vim coniungi non posse incurrit tamquam in oculos. Itaque sine dubio ei, qui audiverunt, in recitandis legibus fraudem statim animadvertissent, praesertim cum Aeschines iudicesque leges afferendas optime nossent. Constant autem in causis et oratores et heliastas dicentem non tacitos audivisse, sed clamore plausuque interpellasse. Quod vel ex orationibus Ctesiphonteis cognoscitur; nam in defensionis § 10 legimus: *εἰ μὲν ἴστε με τοιοῦτον, οἷον*

1) Cf. Dissen. l. c. p. 289; Frank. l. c. p. 378; Spengel. l. c. p. 60 adn. 2; Hoffmann. in libro, qui inscribitur „Zeitschrift für das Gymnasialwesen“ 1866, p. 766 adn. 1; Roemheldt. l. c. p. 31; Weidner.: A. in Ct. or. adn. ad §§ 36 et 44, A. R. g. Kt. p. 75 et 80; Halm. l. c. p. 10; Caemmerer. l. c. p. 6; Baerwinkel. l. c. p. 47, 52, 68; Fox. l. c. p. 118 et 324 Guttmann. l. c. p. 34 sq.; Reich.: D. Fr. d. sog. zw. Red. d. R. v. Kr. p. 43; Rab. l. c. p. 33.

2) L. c. p. 127.

οὗτος ἠτιᾶτο — οὐ γὰρ ἄλλοθί που βεβίωκα ἢ παρ' ὑμῖν — μηδὲ φωνὴν ἀνάσχησθε, μηδ' εἰ πάντα τὰ κοινὰ ὑπέρευ πεπολίτευμαι, ἀλλ' ἀναστάντες καταψηφίσασθ' ἤδη, atque in accusationis §§ 201 et 202 Aeschines clamat et poscit, ut adversarii ne admittantur quidem, dicens: ὑπομνήσατ' αὐτὸν (sc. Κτησιφῶντα) ἀθορύβως τὸ σανίδιον λαβεῖν καὶ τοὺς νόμους τῷ ψηφίσματι παραναγνῶναι. ἐὰν δὲ μὴ προσποιῆται ὑμῶν ἀκούειν, μηδ' ὑμεῖς ἐκείνου ἐθέλετε ... ἐὰν δ' ὑπερπηδήσας τὴν δικαίαν ἀπολογίαν Δημοσθένην παρακαλῇ, μάλιστα μὲν μὴ προσδέχεσθε. Qua ratione loco quoque, quem tractamus, artificium quoddam Demosthenis extemplo non solum perspectum, sed etiam apertum esset. Liquet igitur defensorem, ne causam suam in discrimen adduceret, cavisse nec tam inconsiderate fecisse, quam Foxius putat. Ergo huius quoque critici iudicio percensito nemini adhuc contigisse in aperto est, ut demonstraret, quo verba νόμους μεταποιῶν κτλ. referenda essent, ita ut non sine causa contenderim verba illa apud heliastas dicta non esse.

§ 6. Omnibus autem his expositis postremo sponte apparaturum esse spero, quid de Demosthenis orationis Ctesiphonteae §§ 120 et 121 existimandum sit. Nam ut totius dissertationis argumenta paucis adumbremus, primum quidem minime dubitandum esse vidimus, quin Demosthenes apud iudices plura verba fecerit, quam quae ad nostram aetatem venerunt. Verba enim tradita ab Aeschinis accusatione maxime abhorrent, praesertim autem mirum est apud Demosthenem nihil de peregrinorum coronis ab adversario tam fuse tractatis inveniri, nihil de priore illa lege, qua sola actor nisus erat. Quam defensionis brevitatem ut explicaremus, quaesivimus, utrum §§ 120 et 121 revera responsionem ad Aeschinis accusationem praeberent an Demosthenes has paragraphos scribere potuisset adversarii argumentatione nondum audita. Intelleximus vero non modo utramque paragraphum ante diem iudicii scriptam esse posse, sed etiam verba νόμους μεταποιῶν κτλ. neutiquam in ipsa causa esse dicta. Quid ergo est? Sequitur sine dubio, ut §§ 120 et 121 neque apud heliastas allatae neque alio tempore nisi ante causam actam scriptae sint. Quomodo autem haec sint percipienda, facile est dictu.

Constat enim inter omnes Demosthenem uti alias orationes habendas ita Ctesiphonteam domi magna cum diligentia elaborasse. Itaque etiam de secundo *παρανόμῳ* responsionem eum praeparasse nemo negabit. Manifesto autem, id quod Foxius demonstravit, hac in quaestione superior fuisset, si leges illae et vetustior et Dionysiaca ab uno rogatore atque uno eodemque tempore latae fuissent. Quod non fuisse et ex Aeschinis argumentatione satis elucet et ab omnibus viris criticis conceditur. Nihilo minus fieri potuit, ut Demosthenes, priusquam in iudicio interpretationem Aeschinis audivit, legem Dionysiacam non nisi respectu prioris legis latam esse opinaretur ideoque eam pro parte, ut ita dicam, huius legis haberet. Nam haud scio, an Demosthenes eodem modo quo posteriores eius defensores putaverit verba illa legis Dionysiacae *μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς* ad senatus populique coronas referenda, partem igitur vetustioris legis Dionysiaca abolitam esse. Atque ad hanc viam etiam Baerwinkelius[1]) in explicandis verbis *νόμους μεταποιῶν κτλ.* adducitur, quippe qui dicat: „Quo igitur tum referenda essent haec verba, non video, nisi forte dicas Demosthenem totam legem Dionysiacam pro parte vetustioris legis habuisse et, quod hanc omisisset, Aeschinem criminatum esse". Quod quamquam viro docto parum credibile videtur, tamen, ut vidimus, facile fieri potuit. Demostheni igitur persuasum erat, praesertim cum priore tempore et ipse et alii in theatro saepius coronati essent, per legem Dionysiacam, id quod vetustiore lege vetaretur, populi et senatus coronas in theatro renuntiari licere. Quamobrem in anacrisi certior factus Aeschinem ad priorem legem provocaturum esse optimo iure verba illa praeparare potuit: *ἀλλ' οὐδ' αἰσχύνει . . . νόμους μεταποιῶν.* Suspicatus vero adversarium etiam apud iudices vetustiorem tantum legem allaturum, Dionysiacae autem legis recitationem cauturum esse, in commentario sequentia quoque verba litteris mandare potuit: *τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη, οὗς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγιγνώσκεσθαι τοῖς γ' ὀμωμοκόσι κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι.* Nonnullis autem cavillationibus praemissis, adiectis satis multis

1) L. c. p. 64.

conviciis id caput expeditum videbatur. In causa igitur ipsa Aeschinis legum interpretatio prorsus inexspectata ac necopinata fuit. Quod vel ex eo intellegitur, quod Aeschines hoc *παράνομον* tam diligenter vix tractasset, nisi leges non modo saepe neglectae essent, sed etiam de memoria omnium paene excidissent. Ceterum etiamsi Demosthenes accusatione audita adversarium leges falso interpretatum esse censuit, defensione antea exarata uti ei non licebat. Nam de ipsa Dionysiaca lege, in qua ab Aeschine omittenda fundamentum responsionis posuerat, actor tam copiose disputaverat. Sine dubio igitur viribus suis atque indoli confisus defensor ex tempore de secundo *παρανόμῳ* dixit. Verisimile autem est hanc responsionem satis debilem fuisse, quia orator minime adversarii verba refutare, sed nihil aliud agere nisi in sententiam ab Aeschinis argumentatione plane diversam disputare potuit. Affirmaverit enim, arbitror, in lege Dionysiaca interpretanda nec vetustiorem legem respiciendam nec verba *μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενὸς* de aliis honoribus intellegenda esse nisi de coronis cum a tribulibus, popularibus, peregrinis tum a populo senatuque decretis. Quamobrem laudationem dixerit a Ctesiphonte rogatam in theatro renuntiari licere, iudices autem admonuerit, ne actoris eloquentia et artibus dicendi decipiantur. Firmis igitur argumentis Ctesiphontis rogationem eum fulcire potuisse negandum est. Nihilo setius iudicio vicit; Aeschines vero, quamquam in iuris quaestione superior erat, damnatus est. Qua causa finita Demosthenes haud secus atque adversarius orationem habitam edidit idque ea nimirum ratione, ut cum aliis locis tum in *νομίμῳ* tractando verba apud heliastas facta, non illa antea elaborata litteris mandaret. Demosthene autem mortuo is, cuius in manus res hereditate relictae ceciderant, curans, ut ne minimum quidem verbum Demosthenicum interiret, et alias scidas repertas foras dedit et commentarium scriptum ante diem iudicii. Ac suspicor hunc commentarium in scholis grammaticorum veterum discipulis Demosthenis orationem Ctesiphonteam tractantibus vel illustrandi vel comparandi causa propositum esse. Primo vero verba eius, ubicunque a respondentibus locis orationis in causa habitae discrepuerunt, aut ad marginem aut supra lineas editionis Ctesiphonteae adscripta sunt, deinde per librariorume

imprudentiam in ipsam orationem irrepserunt. Ac quod ad secundum *παράνομον* attinet, librarius quidam, qui duplicem huius loci recensionem invenit — alteram in oratione ipsa, alteram in margine aut supra lineas —, eam nimirum in librum suum recepit, quae melior ei videbatur. Qua de causa graviorem responsionem domi elaboratam praeposuit debili alteri in iudicio prolatae, in qua Demosthenem Ctesiphontis rogationem purgare quidem studuisse, sed de adversarii impetu minime vindicasse intelleximus. Accedit, quod haud scio an librarius ipse Aeschinem leges mutasse et mutilasse putaverit itaque priori Demosthenis refutandi rationi plane assensus sit. Quod utut est, satis constat eum scripturam ante iudicium exaratam in contextum verborum adscivisse, responsionem autem apud heliastas redditam memoriae non prodidisse.

Ea igitur forma orationis Ctesiphonteae propagata est. Quicunque autem paragraphos 120 et 121 animo sincero necdum praeiudicata opinione inspexerit, negare non poterit difficultates, quas praebent, nisi hac ratione expediri non posse.

Caput II.

De Aeschinis orationis Ctesiphonteae §§ 228 et 229.

§ 1. Quoniam in nostram aetatem non solum Aeschinis in Ctesiphontem, sed etiam Demosthenis pro Ctesiphonte oratio pervenit, mirum non est, quod multi iam viri docti per comparationem verborum et huius et illius eruere studuerunt, quae uterque apud iudices dixisset quaeque orationi post iudicii diem litteris mandandae adscripsisset. Atque apparet ad hanc quaestionem absolvendam cum multos alios orationum locos non neglegendos tum, quibus alter alterius verba attingit, diligentissime exigendos esse. Horum autem locorum ad alliciendos hominum animos maxime mihi aptae videntur Aeschineae orationis paragraphi 228 et 229.

Actor enim, cuius in Ctesiphonteae orationis extrema parte multae hodie subiectiones inveniuntur, in § 228 eadem illa figura *ὑποφορᾶς* usus comparationem quandam adversarii prae-

occupare conatur. Legimus autem Demosthenem Aeschinis naturam cum Sirenibus comparare atque exponere velle eodem modo, quo omnes, qui Sirenum cantu decipiantur, intereant, actoris vocem audientibus nunquam perniciei non esse. Quae verba utrum praeparatae atque habitae an retractatae orationi Aeschineae attribuenda sint, nondum diiudicemus: utraque in re apud Demosthenem verba ad accusationis paragraphos illas 228 et 229 spectantia quaesiveris. Frustra vero circumspexeris, cum defensor nullo loco comparationis illius mentionem faciat. Iustissime igitur homines artis criticae periti in hac re offenderunt atque operam dederunt, ut Demosthenis mirae taciturnitatis causam explorarent. Quia autem disquisitio subtilior ad id tempus non instituta est ac, quot viri hanc rem percurrerunt, tot fere proposuerunt sententias, haud supervacaneum mihi videtur, quaestionem denuo aggredi.

Quaeritur, utrum Aeschinis paragraphi 228 et 229 in iudicio dictae an edendae orationi postea insertae sint. Hoc si statuimus, mirandum est, quod Demosthenis de Sirenibus argumentum, quod excitaverat adversarii responsionem postea additam, in defensione non invenitur. Illud si verum esse putamus, in eo offendendum est, quod comparatio ab actore praeoccupata a Demosthene neque in medium profertur nec reicitur neque omnino attingitur. Diversas igitur in partes viri docti discedunt: plurimi quidem non dubitant, quin Aeschines apud heliastas ab adversario Siren appellatus in oratione retractanda demum hanc comparationem depellere studuerit; nec vero desunt, qui accusationis paragraphos illas veram subiectionem continere ideoque iam in ipsa causa prolatas esse opinentur. Quorum sententias primum quidem examinemus.

§ 2. Atque ante alios Frankio[1]) persuasum est apud iudices et Aeschinem paragraphos 228 et 229 attulisse nec tamen Demosthenem Sirenum comparationis mentionem fecisse. Defensor autem Frankio videtur adversarii subiectionem silentio praeteriisse aut quia recte actorem praesagivisse aut quia divinatione eum deceptum esse intellexisset i. e. aut quia

1) L. c. p. 376 sqq.

noluisset dicere, quae alter praeoccupaverat, aut quia de comparatione illa ne cogitasset quidem. Vir doctissimus quamquam hac ratione Demosthenis taciturnitatem excusare mavult, illam tamen explicandi viam non prorsus reicit. Arbitratur enim Aeschinem omnibus locis, quibus adversarii argumenta quaedam sese praenosse affirmat, aut ad ipsam veritatem loqui aut suspiciones proferre, quibus sese non errare pro certo habeat. Quamobrem quod Demosthenes contra actoris exspectationem vocem illius cum Sirenum cantu non comparet, statui posse dicit Frankius, „dass Demosthenes wirklich die Absicht gehabt hatte, von der Sirenennatur des Aeschines zu sprechen, dies aber, vielleicht gerade weil er es nicht der Mühe wert hielt, Aeschines Voraussagung zu bestätigen, unterliess“. Quid vero esse vir doctus opinatur, cur Demosthenes impedire voluerit, ne adversarius vere praesagivisse videretur? Num defensor simulare velle putandus est sibi ne fuisse quidem in animo comparatione illa uti? Minime. Neque enim dubitasset cum prorsus negare tale quidquam se proferre voluisse tum Aeschinis inconditam propulsationem irridere et cavillari. Tantum autem abest, ut id fiat, ut in oratione Demosthenica, quam in manibus habemus, nulla littera de Sirenum voce inveniatur, quamquam multa alia argumenta ab adversario praeoccupata non sunt praetermissa. An putas Demosthenem tacuisse, quia comparationem illam ab Aeschine irritam factam esse intellexisset neque habuisset, quomodo praeparata de Sirenibus verba nihilo setius adhiberet? Quam sententiam vel per se a probabilitate abhorrentem reiciendam esse facile perspicies, si defensionis locos huic similes accuratius inspexeris. Nam sine dubio Frankius non solum accusationis quas tractamus paragraphos 228 et 229 orationi in causa habitae attribuit, sed etiam paragraphos 189 et 225, in quibus Aeschines adversarii exempla quaedam a pugile et a medico ducta anticipare videtur. At eadem haec exempla defensor in medium profert idque ita, ut nihil curet, quid actor eisdem de argumentis iam exposuerit. Nonne igitur veri parum simile est Demosthenem de medico quidem in § 243, de pugile in § 319 dixisse, Sirenum vero comparationem — ab Aeschine eodem modo praeoccupatam —

silentio praeteriisse? Mea sententia ne si cum Frankio quidem arbitraremur defensori in animo fuisse adversarium Sirena appellare, actorem autem id consilium recte anticipasse, futurum esse censeo, quod Demosthenem cogitata perfecisse negaremus. Contra cum rem ipsam tum defensoris similibus locis rationem scribendi docere videmus eum adversarii verbis aut neglectis aut repulsis Sirenum comparatione tamen usurum fuisse. Cum autem in oratione, quae ad nos pervenit, tale quidquam non exstet, difficultas aliter diluenda est.

Nec scio an Frankius hanc explicationem haud multum probabilitatis prae se ferre ipse intellexerit. Eadem enim ratione qua in excusanda levitate defensionis paragraphorum 120 et 121 [1]) alteram quoque coniecturam proponit, non cogitans se eo modo neque hanc sententiam commendare neque illam. Dicit autem potius se credere, „dass Aeschines bloss eine Besorgnis aussprach, die ihm zwar, wenn er in seine eigene Brust griff, sehr nahe liegen musste, diesmal aber, wie der Erfolg zeigte, eitel war". Putat igitur Demosthenem tacuisse, si non ea de causa, quod adversarius verum quoddam argumentum devinando invenisset, at certe, quia Aeschines divinatione deceptus de Sirenum cantu disputasset. Atque hanc explicandi viam alii quoque ingressi sunt. Foxius enim, qui in libro inscripto „Die Kranzrede des Demosthenes, das Meisterwerk der antiken Redekunst" demonstrare studet neque Aeschinem nec Demosthenem orationem apud heliastas habitam retractasse [2]), omnibus locis, quibus accusatio et defensio inter se dissentiunt, alterius orationis ad alteram relationes aut per errorem factas aut consulto fictas esse dicit [3]). „Nam", inquit, „wenn solche Redner Vorträge für einen solchen Rechtsstreit vorbereiteten, werden sie im voraus, bevor einer den andern gehört hat, mit ihren Vermutungen in vielen und sogar in den meisten Punkten das Richtige treffen, in einzelnen schwer vorauszusehenden Stücken aber nicht — sic Aeschines in

1) Cf. supra p. 13.
2) Cf. p. 217 et 358.
3) Ibid. p. 216.

§§ 228 et 229". Neque aliter sentire videtur Weidnerus [1]) ratus Aeschinem tale aliquid ab adversario exspectasse, quia antea quavis alia occasione in sermonibus et circulis a Demosthene Siren appellatus esset. Quid vero? Si accusationis §§ 228 et 229 in causa dictae essent, nonne defensor falsam adversarii coniecturam satis exagitasset et acerbis facetiis illusisset? Ac nonne Aeschinis mira dicendi ratio cavillationes quasi concitasset? Nam ad verba *καὶ γὰρ ἐκείνων φησὶ οὐ κηλεῖσθαι τοὺς ἀκροωμένους ἀλλ᾽ ἀπόλλυσθαι* iam scholiasta adnotat: *γελοῖον· κηλοῦνται γὰρ, ἐπεὶ οὐκ ἂν προσεκαρτέρουν.* Nec vero probare possum, quod Blassius [2]) ad mutationem accedens scribit: *καὶ γὰρ ὑπ᾽ ἐκείνων φησὶ τοὺς ἀκροωμένους ἀπόλλυσθαι.* Primum enim verba *οὐ κηλεῖσθαι . . . ἀλλ᾽* omnibus in codicibus tradita sunt. Deinde autem apparet talia verba dubitationi obnoxia ne interpolatores quidem adscripsisse. Quamquam igitur ei, qui Blassium secuti ferro utuntur, semper eventum assequentur, tamen miram illam lectionem *οὐ κηλεῖσθαι* retineri oportet. Ac recte quidem recentiores veluti Hardtius [3]) ad hanc scripturam explicandam: „particula *οὐ*", aiunt, „non tam abrupte negatur eos, qui audiant, Sirenum cantu delectari et decipi, quam fortiter contenditur eos perire". Attamen hac ratione tota sententia adeo aptior non fit, ut dubium non videatur, quin Demosthenes, si id audivisset, magna voce et sese tam inepte dicere voluisse negaturus et admoniturus fuerit se iam multis locis de Aeschinis voce locutum, omnibus autem id ipsum hortatum esse, ne audientes eloquentia adversarii delectarentur neve deciperentur. Contra secundae parti actoris sententiae ipsi suppositae prorsus assensus esset; Aeschinem enim vi verborum homines non nisi perdere solere saepissime defensor exposuerat. Postremo illi gratias egisset ob blanditias, quas in accusationis § 229 ipsi dixisset. Nam quod Aeschines in paragrapho illa disserit talem comparationem a viro invido et infacundo, non a Demosthene se exspectasse, nemo negabit

1) A. in Ct. or. adn. ad § 228.
2) Aesch. or. ed. Teubn. p. 274.
3) De Aeschinis emendatione p. 46 sq.

haec iterum satis inepte dicta esse. Tantum enim abest, ut de defensoris eloquentia actor detrahat, ut insuperabilem vim dicendi in adversario esse profiteatur.

Qua de causa, ut priore, etiam hac explicandi via eo adducimur, ut statuamus Demosthenem sine dubio responsurum fuisse, si Aeschinis §§ 228 et 229 apud heliastas prolatae essent. Sed quia in oratione Demosthenica frustra de Sirenibus quaesiveris, apparet actorem verba illa in iudicio non fecisse, sed in edenda demum oratione comparationi cuidam a Demosthene allatae opposuisse. At id ipsum Frankio [1]) iterum improbabile est defensorem tale quidquam apud iudices dicere omnino potuisse. Neque enim dubitat, quin „die fragliche Vergleichung schwerlich im Sinne des Demosthenes war, der wohl die starke und helle Stimme seines Gegners, sowie seine schauspielermässige Aktion, nirgends aber etwas Sirenenartiges, d. h. Einschmeichelndes, Verführerisches in der Rede desselben anerkennt". Atque quod ad hanc quaestionem attinet, constat inter omnes, quantum Demosthenes actioni tribuerit. Nam praeterquam quod ipse ab histrione quodam doctus esse dicitur, satis sit verba illa Ciceronis [2]) afferre prodentis Demosthenem ei, qui quaesivisset, quid primum esset in dicendo, actionem, quid secundum, idem et idem tertium respondisse. Haec autem oratorum actio vel ars dicendi pertinet et ad *πάθη* quae vocantur *τῆς φωνῆς* et ad *σχήματα τοῦ σώματος* [3]). Atque utraque in re, non solum in motibus, sed oris incommodis superatis etiam in voce Demosthenes tantam facultatem censecutus erat, ut adversarii ipsi *δεινότητα* eius admirarentur. Perinde vero ac Demosthenes Aeschines animos audientium movebat. Qui quamquam plerumque non tam studiose dicebat quam ille princeps oratorum, cuius concitationibus, quicunque eum audiverunt, raperentur, praeclara tamen voce praeditus erat. Nec dubium est, quin ea vox, quae Demostheni manifesto invidiae erat [4]), haud inepte cum Sirenum cantu comparari potuerit. Nam in orationis de

1) L. c. p. 378.
2) Brut. 142.
3) Dion. Dem. c. 53.
4) Cf. Blass. Dem. or. ed. Teubn. adn. ad § 259.

falsa legatione habitae paragraphis 337—340 Demosthenes id ipsum hortatur, ne quis aequabili adversarii voce fascinetur. Ac ne in Ctesiphontea quidem de Aeschineae orationis nitore dicere desinit, quoniam permultis locis (cf. §§ 127, 132, 259, 280, 285, 291, 308, 313) iudices admonet, ne verbis illius decipiantur neve patiantur eum ut alias, sic hac in causa eloquentia perverse et improbe uti. Quamobrem Demosthenes non solum, id quod contendit Frankius, de adversarii *τόνῳ τῆς φωνῆς* (§ 280), de eius *λαρυγγίζειν* (§ 291), de *φθέγγεσθαι μέγα* et *ὑπέρλαμπρον* (§ 259) verba facit, sed etiam saepius exponit, Aeschinis vox quam bene sonet (§ 285), quam suavis sit ideoque captiosa (cf. praecipue or. de f. leg. §§ 206, 208 sqq., 216, 336 sqq.). Mirum igitur non est eum has Aeschineae vocis illecebras etiam cum vi Sirenum cantus comparasse, quippe qui simili ratione atque illius eloquentia audientibus non nisi perniciei fuisse dicatur. Actor autem, ut hanc comparationem reiceret, retractandae orationi paragraphos 228 et 229 inseruit.

Atque ad eandem hanc explicationem difficultatis illius, quam tractamus, alia quoque ratione perveneris. Neque enim dubitandum est, quin Aeschini licuerit permulta eorum, quae adversarius in causa dicturus erat, cum ipse praesentire tum e sermonibus de lite habitis et ex libellis ad archontem delatis haurire [1]). Quis autem est, qui arbitratus accusationis paragraphos illas iam apud heliastas dictas esse actorem res tam singulares ab adversario exspectare potuisse contendat? Mihi quidem a veritate maxime abhorrere videtur Aeschinem ante iudicium comparationes quasdam, quibus Demosthenes usurus esset, a re ipsa plane alienas divinando invenisse aut fando audivisse. Weidnerus [2]) quidem eum quavis antea occassione in sermonibus et circulis a Demosthene Sirena appellatum esse suspicatur. Age, sit ita factum: num Demosthenes eadem hac occasione adversarium etiam cum medico illo comparaverat, qui non nisi aegroto mortuo necessariis consilia daret? Num illis in sermonibus Philammonis mentionem fecerat, qui veteribus

1) Cf. ea, quae de hac re supra p. 20 sq. diximus.
2) A. in Ct. or. adn. ad § 228.

pugilibus inferior tamen coronatus sit, quia aequales omnes superasset? Credi vix potest Demosthenem in circulis talia verba fecisse, nedum ita fecerit, ut adversario in causa ea exspectare liceret. Recte igitur plurimis viris doctis persuasum est actorem in iudicio nec de Philammone pugile (§ 189) nec de medico (§ 225) nec de Sirenibus dixisse. Sequitur, ut paragraphi, quas tractamus, edendae demum accusationi insertae sint, quae sententia cuivis eo magis arridebit, quod praecedentia quoque omnia fere argumenta, quae leguntur a § 221, orationi postea demum adscripta sunt. Quas omnes paragraphos Aeschines, ut legentium animos conciliaret suasque in partes traheret, retractandae orationi adiecit, verba autem de Sirenibus facta defensionis loco cuidam opposuit, quo Demosthenes adversarii vocem revera cum Sirenum cantu comparaverat.

§ 3. At qua de causa locus ille, ad quem Aeschines in §§ 228 et 229 respondet, apud Demosthenem non invenitur? Sine dubio enim mirum est defensorem in edendam Ctesiphonteam comparationem illam ne recepisse quidem videri. An censes Aeschinis eloquentiam ab adversariis in suspicionem ita inductam esse, ut reus ipse, non Demosthenes comparatione ista uteretur? Quae sententia quamquam nullam veri speciem habet, tamen a Westermanno proposita ideoque paucis hic refutanda est.

Westermannus [1]) enim fortasse Ctesiphontem in oratiuncula sive postea alia quavis occasione ita dixisse arbitratur. At primum supra (p. 21 sqq.) vidimus Ctesiphontem non solum totam defensionem Demostheni reliquisse, sed etiam ipsum quam minime multa verba ad praeparandos animos iudicum fecisse. Difficile igitur est intellectu, quo loco reus attenuatam oratiunculam tali comparatione adornare potuerit. Praeterea autem ut viri illius doctissimi sententiam plane reiciamus, adducamur necesse est verbis ipsius Aeschinis, qui dilucide exponat Demosthenem de Sirenum cantu dicturum esse atque in §§ 228 et 229 defensoris, non rei suspiciones avertere studeat.

Quamobrem dubitari non potest, quin Westermanni coniectura improbanda et statuendum sit Demosthenem ipsum apud iudices

1) De Aesch. or. adv. Ct. p. 22. Quaest. Dem. III 83.

Sirenum comparationem adhibuisse. Quaeritur autem, cur ea verba in tradita defensione non inveniantur. Neque enim satis est, id quod Roemheldtius [1]) facit, accusationis paragraphos illas in iudicio dictas esse negare nec recte fit, quod Dissenius [2]) nihil aliud agit nisi Demosthenica verba in edenda oratione omissa esse affirmat. Sed sponte apparere mihi videtur nobis in causam inquirendum esse, cur Sirenum comparatio ab oratione Ctesiphontea, quam in manibus habemus, absit. Sententiae autem ad hanc rem explicandam propositae videamus, utrum argumentis satis expensis confirmentur an fundamentis nitantur, quibus fides habenda non sit. Homines enim critici, qui de hac quaestione disputaverunt, fere omnes rem paucis verbis absolvunt: alii dicunt Demosthenem verba de Sirenum cantu facta in retractanda oratione casu praetermisisse, alii eum consulto hunc locum delevisse. Utramque sententiam examinemus.

§ 4. Atque ut primum ad illam explicationem accedamus, apud Schaeferum [3]) legimus cum Demosthenem orationem apud heliastas habitam retractasse tum Aeschinem in edenda oratione Ctesiphontea modo omittentem modo adicientem haud pauca mutasse atque emendasse. „Exempli causa“, inquit vir doctissimus [4]), „scheint mir eine Stelle des Aeschines auf Worte des Demosthenes nachträglich Bezug zu nehmen, die wir in der Rede vom Kranze nicht vorfinden . . . ein Vergleich mit den Sirenen ist bei Demosthenes nirgends zu finden, und doch ist dieser von solcher Art, dass Aeschines ihn nicht fingieren konnte; war er doch für ihn gar empfindlich . . . Nein, Demosthenes wird ihn gebraucht, aber nicht niedergeschrieben haben . . .“. Atque in eandem sententiam disputat Blassius dicens [5]): Quae de Sirenibus audimus, „muss Demosthenes vor Gericht wirklich gesagt, und Aeschines die Verwahrung da-

1) L. c. p. 60 adn. 1.
2) L. c. p. 219.
3) L. c. III 2 p. 81.
4) Ibid. p. 79.
5) Att. Ber. III 1² p. 432.

gegen nachträglich in seine Rede eingeschoben haben". In scriptam autem orationem defensor comparationem recepisse ei non videtur[1]). „Nam", inquit vir clarissimus[2]), „ängstlich bedacht wird er nicht gewesen sein, dass nun alles vollständig so geschrieben dastehe, wie es gesprochen war, und es ist daher nicht zu verwundern, wenn Aeschines . . . eine Erwiderung auf eine Demosthenische Stelle hat, . . . die wir jetzt vergebens suchen". Blassii autem sententiam amplexus etiam Looffius[3]) Sirenum comparationem putat a Demosthene „als unwesentlich übersehen". Neque aliter iudicat Reichius[4]), apud quem scriptum videmus: „Hat Aeschines einen solchen Vergleich erwartet und ihm zu begegnen gesucht, ohne dass er eintraf? Hat Demosthenes den Vergleich gebraucht und ihn in seine Niederschrift nicht aufgenommen? Wir sind der letzteren Ansicht, . . . weil er überhaupt schwerlich mit ängstlicher Genauigkeit alles, was er gesprochen hatte, niederschrieb". Opinantur igitur viri docti Demosthenem in edenda oratione Sirenum mentionem non fecisse, quia nequaquam ea fuerit diligentia, quin in tanta rerum copia facile quaedam omitteret. Ac res ipsa docere videtur defensorem argumenta accusationi opposita, non singula verba apud iudices facta memoria tenere potuisse. Sed primum quidem Demosthenes dilucide professus[5]) se Aeschinis omnes ad unam criminationes refutaturum esse res ab ipsa causa alienas ἔξωθεν λόγους quidem vocavit[6]), attamen neque in habita neque in scripta oratione praetermisit. Nonne vel ex eo concludi potest Demosthenem, quippe qui in perscribendis locis illis ἔξω τοῦ πράγματος prolatis tanta diligentia usus sit, eodem modo Sirenum comparationem aliaque verba ad causam non pertinentia, ad orationem autem adornandam animosque ut audientium, ita legentium permovendos maxime accommodata non neglexisse? Age vero, quid omnino

1) Att. Ber. III 2² p. 219.
2) Dem. or. ed. Teubn. introd. p. 12.
3) Der Prozess des Ktesiphon p. 12.
4) D. Fr. d. sog. zw. Red. d. R. v. Kr. p. 41.
5) Cf. Dem. or. §§ 17, 34, 56.
6) Cf. § 9; § 34: ἔξω τῆς γραφῆς.

de defensoris in edenda oratione diligentia iudicas? Utrum putas tibi licere Schaefero, Blassio ceterisque viris doctis haud cunctanter assentiri an et mihi et tibi persuasum est ad hanc rem absolvendam accuratissimam de Demosthenis ratione scribendi disquisitionem esse instituendam? Equidem homines illos doctos non sine magno argumentationis detrimento hanc quaestionem neglexisse censeo, quoniam si quis per totam Ctesiphonteam defensoris accurationem exploraverit, facere non poterit, quin in sententiam plane diversam adducatur. In hac enim oratione emittenda Demosthenes tam diligenter versatus est, ut neque ab aliis rebus se defenderet, nisi quas Aeschines adversariis in iudicio revera obiecerat — quamquam primo obtutu neutiquam nobis mirum videretur, si in tanta rerum copia saepius extra calcem, quod dicitur, decurrisset — neque locos quosdam, quos apud heliastas tractaverat, aut verba, quae in causa contra actorem fecerat, postea omitteret. Iam ad haec examinanda accingamur.

Ac quod attinet ad priorem illam quaestionem, num defensor in oratione edenda consulto vel memoria lapsus crimina reppulisse statuendus sit, qualia Aeschines in adversarios ne iactasset quidem, omnes Demosthenis relationes in accusatione reperiuntur praeter unam commemorationem foederis ab Atheniensibus cum Byzantiis facti. Demosthenes enim in §§ 87—95 de auxilio se suasore Byzantiis lato dicit ostenditque [1]) actorem sine ulla causa convicia gravissima ut in Euboeenses Thebanosque, sic in Byzantios coniecisse. Aeschines vero, qui de Euboicis rebus in § 85 sqq., de societate Thebana in § 132 sqq. contumeliose disserit, Byzantiorum mentionem non facit nisi brevissime in epilogi paragrapho 256. Num inde concludendum est Demosthenem errasse nec satis diligentem fuisse in Ctesiphontea litteris mandanda? Minime. Nam quod Weilius [2]) suspicatur eum rerum Byzantiarum defensionem ante diem iudicii praeparatam in contextum recepisse, quamquam Aeschines incertis de causis id foedus non vituperasset, haec sententia non plus

1) Cf. §§ 95, 230, 238, 302.
2) L. c. p. 466.

probabilitatis prae se ferre mihi videtur quam Kirchhoffii [1]) coniectura arbitrati eum peccatum illud leve commisisse, quia memoria lapsus esset, i. e., quantum equidem intellego, quia perperam pro certo habuisset se adversarium etiam de Byzantiis maligne dicentem audivisse. Aliter vero rem sese habere vel ex eo apparet, quod actor Byzantios in epilogo non commemorasset, nisi in ipsa argumentatione copiosius de eis dixisset. Optimo igitur iure plurimi hodie viri eruditi sententiam Schaeferi [2]) sequuntur, apud quem legimus Aeschinem locum illum, ad quem defensor respondeat, in retractanda oratione consulto suppressisse veritum, ne convicia in Byzantios coniecta, socios istos una cum Rhodiis ab Atheniensibus quondam alienatos, crimini sibi darentur Rhodi, qua in insula causa perdita aliquamdiu eum commoratum esse satis constat. Quamobrem in defensoris de Byzantiis verbis minime haesitandum est. Nec quidquam video, quod impediat, quominus diligentiam Demosthenis magnopere admiremur, qui quadragies ter [3]) ad verba adversarii ita provocet, ut ne semel quidem a memoria destituatur.

At concesserit quispiam Demosthenem in perscribendis locis, quibus ad actoris verba dilucide respondetur, diligentem attentumque se praebuisse: id modo quaeri, num edendae orationi, si non plures, at minores locos inseruerit, quam quos apud iudices tractasset. Quam quaestionem ad propositum nostrum magni momenti esse apparet. Nec vero in eiusmodi incuriam inquirendi facultatem habebimus, nisi comparatione inter utramque orationem instituta omnia Aeschinis verba a Demosthene neglecta exploraverimus, et iusta actoris argumenta et subiectiones sive ante litem inventas sive postea demum adscriptas.

Itaque primum agitur de locis, quorum in tradita defensione mentio non fit, quamquam apud heliastas argumentationem adversarii neglegere Demostheni sine dubio non licuit. Verbi causa mireris eum superbum lege trierarchica a se lata neque

1) L. c. p. 77 adn. 1.
2) L. c. III 2 p. 77.
3) Cf. Reich.: D. Fr. d. sog. zw. Red. d. R. v. Kr. p. 22 sqq.

in §§ 102—109 neque in § 312 ad ea, quae Aeschines in § 222 mentitus est, respondere, praecipue autem criminationem illius non refellere affirmantis defensorem pecunia corruptum hac lege sexaginta quinque naves actuarias civitati eripuisse. Eodemque modo mirum videatur eum ad Aeschinis hostilem in Athenienses animum demonstrandum in §§ 132—137 de Antiphonte, Pythone, Anaxino dicere, quasi adversarius eos nondum commemoraverit, tertium autem hoc exemplum paucis verbis absolvere, cum id ipsum in accusationis §§ 223 et 224 fusius tractatum atque ea ratione repulsum sit, ut actor sua ex parte Demosthenis cum Anaxino hospitium calumniaretur. Quod autem attinet ad defensoris de secundo παρανόμῳ responsionem, priore in parte huius dissertationis satis superque intelleximus ea, quae in §§ 120 et 121 scripta videmus, iudicibus sufficere non potuisse. Quid ergo? Dixitne Demosthenes copiosius quam scripsit? Reddiditne quidem in causa responsum, quod quaerimus, in edendam vero orationem indiligenter non recepit? Minime. Nam non modo alii viri docti defensoris taciturnitatem hac ratione non explicant, sed ne Schaeferus, Blassius, Reichius quidem negant plurimis eiusmodi locis non Demosthenem, sed Aeschinem verba apud iudices facta mutasse aliis rebus adiectis, aliis accuratius elaboratis [1]). Quamobrem non multum a veritate aberrabimus, si omnibus defensionis locis, quibus adversarii argumenta consulto esse neglecta verisimile non est, Demosthenem statuemus Aeschinis verba, quippe quae postea demum orationi adscripta sint, apud heliastas non audivisse. Qua coniectura reiecta nihil relinquitur, nisi ut censeamus eum aliter dixisse et scripsisse atque hodie legimus. Illius autem explicationis exempla posui accusationis paragraphos 222—224; haec explicandi via nobis ingredienda erat ad diluendas difficultates, quas praebent defensionis §§ 120 et 121. Nusquam igitur de Demosthenis incuria quadam cogitandum est.

---

1) Cf. de eis, quae edendae accusationi addita videntur: Schaefer. l. c. III 2 p. 75 sq.; Blass.: Att. Ber. III 2² p. 215 sqq.; Reich.: D. Fr. d. sog. zw. Red. d. R. v. Kr. p. 38 sqq.

Quod vero Schaeferus et Reichius arbitrati Demosthenem, si nihil aliud, Sirenum comparationem in edenda Ctesiphontea omisisse fidem huius opinionis testimoniis duobus antiquis augeri putant, equidem valde dubito, num haec argumenta ad quaestionem, in qua versamur, multum valeant. Nam etiamsi sententiam sequemur Demetrii, ad quem Schaeferus [1]) provocat, aut veteris illius interpretis, cuius verba affert Reichius [2]), nihil concesserimus nisi nonnullis in orationibus edendis Demosthenem supervacanea quaedam verba praetermisisse [3]). Sed in ipsa Ctesiphontea evulganda defensor aliter fecit et restricte observavit, ut ne minimum quidem verbum in iudicio factum omitteret. Ac tale quidquam etiam Blassius sensisse videtur dicens [4]): „Demosthenes hatte diesmal für die Herausgabe etwas mehr als sonst zu tun“ eodemque modo [5]): „Sie (sc. oratio de corona habita) ist ausserordentlich durchgearbeitet und ausgefeilt, was man von den andern Gerichtsreden nicht so sagen kann“. Optimo autem iure Demosthenes hanc orationem tam diligenter foras dedit. Nam satis constat, quantis de rebus litigantes in discrimen vocati fuerint, quantopere is *ῥητόρων ἀγών* [6]) etiam ultra fines Atticos admirationem omnium moverit. Nec dubium erat, quin post iudicium cum ei, qui ad summos oratores audiendos convenerant, causae illius recordatione fruentes scriptam utriusque adversarii orationem saepius

1) L. c. III 2 p. 79.

2) L. c. p. 41.

3) Qua ratione Schmidtius: Quaest. de D. et A. or. de f. leg. p. 14 sqq. et Schaeferus l. c. III 2 p. 68 sqq. orationum *περὶ τῆς παραπρεσβείας* habitarum locos discrepantes explicant. Nec dubium est, quin hac in lite Demosthenes apud iudices plura verba fecerit, quam quae hodie legimus. Attamen ne ad has quidem offensiones tollendas habemus, cur Demosthenem in edenda oratione verba in iudicio facta contraxisse statuamus. Magis enim arridet mihi coniectura Blassii docentis (cf. Att. Ber. III 1^2 p. 363 sqq.) eum ab amicis impulsum commentarium ante causam exaratum publici iuris fecisse eo modo, ut omnia apud heliastas addita in contextum non reciperet, sive operae non pretium arbitratus, sive angustiis temporis prohibitus.

4) Dem. or. ed. Teubn. introd. p. 11.

5) Att. Ber. III 1^2 p. 436.

6) Cf. Dem. or. § 226.

admirari vellent, tum omnes, qui liti non interfuerant, cupiditate et accusationem et defensionem legendi arderent. Quae cum ita essent, facile est ad intellegendum Aeschinem orationem, monumentum illud cladis acceptae, non immutatam edidisse, sed enisum, ut innocens damnatus esse videretur, nonnulla mutasse ac modo omisisse quaedam, modo adiecisse. Sed quid Demosthenem habuisse putas, quod eam orationem mutaret, quam magnis cum plausibus clamoribusque orasset quaque animos et iudicum et multorum milium audientium vehementissime movisset? Atque quomodo Schaeferus opinatur defensorem verba apud iudices facta amputasse nec dubitasse orationem eo modo deteriorem facere, cum idem ipse pro explorato habeat[1]), „dass Demosthenes an einer Verteidigungsrede, die eine so glänzende Wirkung gehabt hatte, nicht unnötig änderte?“ Sane quidem defensorem orationem habitam non ad verbum litteris mandasse aeque probabile est atque eum Ctesiphonteam lima persecutum nonnullas res apud heliastas tractatas amplificasse et accuratius elaborasse. Sed ut consulto argumenta praetermitteret, quae aut actoris conviciis opposita erant aut tantum ad persuadendum auctoritatis habebant, quantum Sirenum comparatio, tam stulte eum fecisse neutiquam probari potest. Nec minus a vero aberrabis, si Demosthenem memoria lapsum argumenta quaedam omisisse arbitraberis. Nam quid omnino de oratoris ratione scribendi iudicas? Num credibile est eum memoria tantum nixum totam Ctesiphonteam litteris mandasse? Immo vero cur inter orationem habitam et scriptam tam pauca discrepent, explicari non potest nisi statuimus Demosthenem et singulari memoria fuisse et ad edendam orationem non solum commentario usum esse, in quo ante diem iudicii permulta argumenta elaboraverat, sed etiam chartula, in quam in ipsa causa notabilia congesserat. Nam sine dubio defensor eodem modo, quo omnes hodie causidici, dum Aeschines orationem habebat, et criminationes, quas actor adversariis intulit, et recentia argumenta, quae ad illas refutandas ipsi in mentem venerunt, in chartulam coniecit. Quo modo rem se habere

1) L. c. III 2 p. 79.

vel ex eo concludendum est, quod vix intellegitur Demosthenem orationem magnam partem ex tempore factam sine commentariis diutius memoria custodire aut omnium verborum memoriam postea tam accurate renovare potuisse. Atque huc accedit, quod defensor nonnullis edendae orationis locis eisdem verbis usus, qualia adversarius adhibuerat, tali modo scribere non potuit, nisi respondentes accusationis locos in iudicio enotaverat. Nam paene ad verbum inter se congruunt orationis Demosthenicae § 51 et Aeschineae § 66, Dem. § 82 = Aesch. § 218, Dem. § 127 = Aesch. § 260, Dem. § 297 = Aesch. § 236. Nonne igitur manifestum est Demosthenem ut hos ceterosque locos, quos actoris verbis opposuerat, etiam Sirenum comparationem aut ante litem in commentarium aut, id quod verisimilius est, in ipsa causa in chartulam rettulisse, in Ctesiphontea habita attulisse, in edenda oratione foras extulisse? Ac nonne sententia Schaeferi, Blassii, Reichii prorsus reicienda est cum his de causis tum propterea, quod nullo alio Ctesiphonteae loco stabiliri potest? Mihi quidem viri illi doctissimi ideo tantum ita iudicasse videntur, ne Demosthenem etiam Sirenum comparationem in textum recepisse concederent. Neque enim dubium est, quin in hac coniectura statuendum sit comparationem a Demosthene editam ab alterius manu eiectam esse, qualem sententiam illi viri nimirum exhorrescunt. Attamen, credo, quaestio, quam instituimus, vix ad alium exitum adducetur, quoniam, ut vidimus, indiligentiae illius, quae defensori crimini datur, nullum vestigium reperitur.

At etiamsi negari non potest Demosthenem omnes criminationes ab adversario apud heliastas prolatas non solum in habita, sed etiam in scripta oratione reppulisse, ad extremum quaerendum est, num eadem diligentia fuerit in praeoccupationibus Aeschinis respondendis, praesertim quae ad propositum nostrum sine dubio magis pertineant quam cetera accusationis argumenta. Exstantne igitur inter Aeschineae orationis locos plerumque ductos a verbis „*πυνθάνομαι μέλλειν κτλ.*“ plures subiectiones, quae finita demum causa Ctesiphonteae insertae perinde ac Sirenum comparatio excitantibus defensoris verbis careant, ita ut indicia incuriae cuiusdam Demosthenis praebere possint?

Satis constat Aeschinem non modo Sirenum comparationem, sed etiam alios locos adversario furtim abripuisse et figura ὑποφορᾶς usum edendae orationi addidisse. Nonnunquam enim exempla illa a pugile et a medico ducta [1]) commemoravimus, quae omnes hodie viri docti actorem neutiquam praesagivisse censent. Sed his ipsis locis Schaeferus, Blassius, Reichius ad sententiam fulciendam inniti vix possunt, quoniam antea admonuimus Demosthenem haec exempla apud iudices allata in edenda oratione minime omisisse, sed eisdem verbis usum, quae in causa adhibuerat, in contextum recepisse [2]). Quam rem eo magis praedicari oportet, quod haec verba haud secus ac Sirenum comparatio a causa ipsa aliena sunt. Quod nisi defensor anxia illa cura fuisset, quam Schaeferus ceterique ab eo abiudicant, nec habuisset, cur consulto hos locos praetermittere dubitaret, nec facere potuit, quin memoria lapsus silentio eos praeteriret. Sed eo ipso consilio, ne sibi crimini verteretur, quod in maximam orationem edendam non satis diligenter institisset, verba illa a re aliena, quae de medico, de pugile, de Sirenum cantu fecerat, non omisit.

Sine dubio autem aequum est nos non solum subiectiones postea adscriptas, sed etiam veras praeoccupationes in causa prolatas perscrutari, cum in universum statuendum sit Demosthenem apud heliastas ut ad cetera Aeschinis argumenta, sic ad anticipationes eius respondisse, sive adversarius recte sive perperam praesagiverat. Quae cum ita sint, haud scio an quis speret se per comparationem horum saltem locorum utriusque orationis indiligentiam quandam defensoris reperire posse. Ego nimirum persuasum habeo omnes, qui Schaeferi, Blasii, Reichii sententiam sequuntur, hac quoque via parum processuros esse.

Iam vero ad viginti accusationis subiectiones quattuordecim tantum defensionis loci pertinent. Congruunt enim inter se orationis Aeschineae § 17 et Demosthenicae § 112; Aesch. § 35 sqq. = Dem. § 121; Aesch. § 84 = Dem.

1) Cf. Aesch. or. §§ 189 et 225.
2) Cf. Dem. or. §§ 243 et 319.

§§ 299—301, quibus locis de Euboeensium et Thebanorum cum Atheniensibus foedere generatim dicitur, cum singillatim conscriptae sint de Euboeensibus: Aesch. § 85 sqq. et 237 = Dem. §§ 71 sqq. et 95 sqq., de Thebanis: Aesch. §§ 132 sqq. et 237 sqq. = Dem. § 161 sqq.; Aesch. § 128 = Dem. § 163; Aesch. § 152 = Dem. §§ 53 et 299; Aesch. § 168 sqq. = Dem. § 122; Aesch. § 189 = Dem. § 319; Aesch. § 207 sqq., quo loco actor artes eloquentiae Demosthenicae praedicens adversarii facultatem dicendi in suspicionem inducere studet = Dem. cum multae aliae paragraphi tum §§ 276—284; Aesch. § 215 sq. = Dem. §§ 131 sqq., 198, 308; Aesch. § 217 = Dem. § 15, 242 sq., aliae; Aesch. § 221 = Dem. §§ 124, 251, 279, aliae; Aesch. § 225 = Dem. § 243; Aesch. § 256 (de Byzantiis) = Dem. § 87 sqq. At vero subtimebit quispiam, ne longius progrediar, quoniam duae harum relationum prolatarum non omnium assensu approbantur. Nam Caemmererus [1]) affirmat Demosthenem nusquam verbis illis uti, quae actor in § 84 praeoccupare videatur dicens: *ναί, ἀλλὰ χαλκοῖς καὶ ἀδαμαντίνοις τείχεσιν, ὡς αὐτός φησι, τὴν χώραν ἡμῶν ἐτείχισε, τῇ τῶν Εὐβοέων καὶ Θηβαίων συμμαχίᾳ*, et Reichius [2]) miratur defensorem non hominem popularem se vocare, qualem eum se gesturum esse Aeschines in § 168 sqq. praedixerat. Equidem haud ignarus horum virorum sententiarum neque huic neque illi assentiri possum. Primum enim Caemmerero persuasum est Aeschinem in retractandae orationis paragrapho illa 84 adversarii verba quaedam apud iudices audita refutare voluisse. Demosthenem autem in edenda defensione hunc locum omisisse putat ratum eum minus apte ad rem dictum esse. Nec vero scio, quo iure Caemmererus ita iudicet. Quivis enim facile videbit Aeschinea verba ad defensionis paragraphos 299—301 spectare, ubi legimus: *οὐ λίθοις ἐτείχισα τὴν πόλιν οὐδὲ πλίνθοις ἐγώ . . . ἀλλ' ἂν τὸν ἐμὸν τειχισμὸν βούλῃ δικαίως σκοπεῖν, εὑρήσεις ὅπλα καὶ πόλεις καὶ τόπους καὶ λιμένας καὶ ναῦς καὶ ἵππους καὶ τοὺς ὑπὲρ τούτων ἀμυνουμένους. ταῦτα προὐβαλόμην ἐγὼ πρὸ τῆς Ἀττικῆς ὅσον ἦν*

1) L. c. p. 29 sq.
2) D. Fr. d. sog. zw. Red. d. R. v. Kr. p. 21.

ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ δυνατόν, καὶ τούτοις ἐτείχισα τὴν χώραν . . . Τί χρῆν τὸν εὔνουν πολίτην ποιεῖν, τί τὸν μετὰ πάσης προνοίας καὶ προθυμίας καὶ δικαιοσύνης ὑπὲρ τῆς πατρίδος πολιτευόμενον; οὐκ ἐκ μὲν θαλάττης τὴν Εὔβοιαν προβαλέσθαι πρὸ τῆς Ἀττικῆς, ἐκ δὲ τῆς μεσογείας τὴν Βοιωτίαν . . .; Ac quod attinet ad opinionem Reichii haesitantis in eo, quod Demosthenes ad Aeschinis verba de virtutibus hominis popularis facta non respondeat, defensor non solum, id quod vir doctus ipse admonet, in §§ 1, 110, 321 sq. ad benevolentiam erga rem publicam constanter habitam provocat, sed etiam in § 122 satis plane *δημοτικόν* se vocat. Cum enim adversario obicit omnia calumniando detorquenti ei non licere imaginem hominis popularis proponere, eisdem verbis monet se ipsum quis qualisque *δημοτικός* sit, aliter iudicare atque Aeschinem; cumque pergit populares non verbis, sed factis et rebus gestis cognosci, sine dubio dicere vult se ipsum, rei publicae maxime deditum, non actorem dignum esse, qui *δημοτικός* vocetur. Quamobrem in sententia mea permaneo arbitratus accusationis paragraphum 84 ad defensionis §§ 299—301, illius orationis paragraphum 168 sqq. ad huius § 122 pertinere, Aeschinem autem, ut supra demonstravi, quater decies omnino recte praesagivisse.

Quae cum ita sint, Demosthenes ad sex subiectionum illarum viginti, quae in Aeschinea oratione inveniuntur, respondisse non videtur. Quibus e locis unus, paragraphi 228 et 229, Sirenum comparationem postea adscriptam continent; ceterae quinque praeoccupationes insunt in §§ 13 sqq. et 28 sqq., § 54, §§ 97 et 256, §§ 216 et 219, § 257. Iam vero quoniam id molimur, ut examinemus, num defensionis loci his anticipationibus respondentes propterea traditi non sint, quod Demosthenes responsionem in iudicio quidem reddidisset, in edenda vero oratione neglexisset, quaerendum est, utrum eodem modo quo §§ 228 et 229 ceterorum quoque locorum quidam post causam actam demum adscripti an quinque illae subiectiones a defensore apud heliastas auditae et refutatae sint.

Nec dubium videtur, quin prima praeoccupationum illarum quinque, paragraphi 13—16 et 28—30, in quibus actor demonstrare vult Demosthenem moenium reficiendorum munere

functum rationibus reddendis obnoxium esse, retractandae demum orationi inserta sit. Nam non ego tantum, sed omnes fere, qui in hac re hodie versantur, Aeschinem anno 330 de primo *παρανόμῳ* aliter dixisse, atque in tradita oratione scriptum videmus, pro certo habent [1]). Qui quod praecavet, ne adversarii obiciant *τειχοποιίαν* non esse *ἀρχήν*, sed tantum *ἐπιμέλειαν καὶ διακονίαν*, hanc excusationem nisi ante rationes redditas, i. e. paulo post quam anno 336 litem instruxerat, exspectare non potuit. Ex quo apparet eum hunc locum in iudicio rationibus diu relatis non attulisse, sed edendae accusationi addidisse, non ut eiusmodi argumenta a defensore prolata repelleret, sed ut verbis illis, quae sex annis ante praeparaverat, adscriptis orationem valentiorem et efficaciorem faceret.

Mirum igitur non est Demosthenem has paragraphos non attingere. Quamquam autem concedo reliquos quattuor locos ab Aeschine in oratione habita prolatos esse, tamen ad institutam disquisitionem absolvendam a paragraphis quoque 97 et 256 discedendum esse censeo, in quibus actor exponit adversarium gloriaturum esse se et alios et Acarnanes Atheniensibus socios comparasse. Quae verba Demosthenes, ut supra diximus, neglexisse videtur, cum Thebanorum quidem, Euboeensium, Byzantiorum aliorumque mentionem faciat, nusquam Acarnanum. Nihilo minus verisimile est actorem recte praesagivisse. Nam in defensionis paragrapho 237 legimus: *ἀλλ' ὅμως ἐκ τοιούτων ἐλαττωμάτων ἐγὼ συμμάχους μὲν ὑμῖν ἐποίησα Εὐβοέας Ἀχαιοὺς Κορινθίους Θηβαίους Μεγαρέας Λευκαδίους Κερκυραίους, ἀφ' ὧν μύριοι μὲν καὶ πεντακισχίλιοι ξένοι, δισχίλιοι δ' ἱππεῖς ἄνευ τῶν πολιτικῶν δυνάμεων συνήχθησαν.* Quo loco Demosthenes easdem fere civitates enumerat, quas adversarius in §§ 95 et 97, praeterquam quod Aeschines non commemorat Corcyraeos, pro Leucadiis autem affert Acarnanes Leucadi insulae proximos. Quae insula sita in conspectu litoris Acarnanici paeninsula fuit usque ad id tempus, quo Corinthii, qui et Leucadem et

1) Cf. Kirchhoff. l. c. p. 64 sqq.; Blass.: Att. Ber. III 2^2 p. 210 sqq.; Christ.: Gesch. d. griech. Litt. p. 407^3 adn. 1, alios, praesertim Reich.: D. Fr. d. sog. zw. Red. d. R. v. Kr. p. 45 sqq.

Corcyram coloniam miserant, τὸν Λευκαδίων ἰσθμόν intercciderunt. Verisimile autem est ex eo tempore Leucadios et Acarnanes non modo amicitia coniunctos, sed etiam, id quod Schaeferus[1]) recte coniectavit, unam eis rem publicam et societatem fuisse, ita ut Demosthenes in § 237 provocans ad Leucadios eandem civitatem animo contempletur quam Aeschines in §§ 97 et 256 de Acarnanibus dicens.

Ergo agitur de tribus tantum accusationis subiectionibus, paragraphis 54 sqq., 216 et 219, 257, quas defensorem apud heliastas audivisse satis constare videtur. Responsio autem a Demosthene in iudicio reddita cum in scripta oratione non exstet, nonne in extremo tandem indicia quaedam indiligentiae illius a Schaefero, Blassio, Reichio positae repperimus? Sine dubio ita esset, nisi hanc quoque spem opinionis hominum illorum clarissimorum fulciendae proici oporteret. Id enim ipsum censeo Demosthenem eorum verborum, quae adversarius his locis praecavere studet, iam apud iudices ne mentionem quidem fecisse. Hanc autem sententiam ita probabo, ut defensorem consulto talibus verbis usum non esse demonstrem, qualia Aeschines exspectaverat. Nam ut singula consideremus, actor in § 54 sqq., priusquam adversarii publicas actiones pertractat, quattuor spatia distinguit, affirmans Demosthenem eandem rerum politicarum partitionem propositurum et interrogaturum esse, ad quemnam horum καιρῶν accusatio spectet. At defensor non solum quattuor ea spatia rei publicae a se administratae non constituit, sed ne verbo quidem ad quartum illud Aeschineum caput (§§ 159—167) respondet, quo adversarius gravissimis criminationibus collocatis res inde ab anno 338 gestas perscrutatus est. Quid ergo? Inseruitne actor, id quod Westermannus[2]) primus coniectavit, locos ad novissimum id tempus pertinentes retractandae demum orationi? Omisitne Demosthenes in edenda oratione, quae de distinctione illa quartoque καιρῷ respondisset, ita ut non sine causa eum saepius aliter scripsisse ac dixisse opineris? Minime. Nam ipsi viri illi acutissimi

1) L. c. II² p. 489.
2) Quaest. Dem. III p. 73 et 87.

Schaeferus [1]), Blassius [2]), Reichius [3]) alio atque eo optimo modo, cur Demosthenes et in habita et in scripta oratione tacuerit, explicant. Neque enim dubium est, quin Aeschines simulans partitionem istam ex adversarii consilio manare nihil nisi figuram quandam orationis adhibeat. Qua ratione cum ab ipso Demosthene coactus videatur non solum eius res ante instructam litem gestas percensere, sed etiam quaerere, num tempore inter libellum traditum et diem iudicii interiecto corona dignum se praestiterit, manifesto efficere studet, ut adversarius quoque uti de Philippi, sic de Alexandri aetate verba faciat itaque inimicis materiam litis denuo ipsi inferendae praebeat. Nam debuitne defensor, ut Aeschinis calumnias reiceret, coram omnibus exponere, quomodo Philippo mortuo civitati consuluisset? Nonne de seditionibus Thebana ac Laconica dicens cum civibus detrimentum attulisset tum, ut Horatii [4]) verbis utar, ipse vineta sua cecidisset? Nonne igitur rectissime fecit, quod et de quattuor καιροῖς et de Alexandri tempore tacuit, adversarii autem provocationes, quales non solum hoc loco, sed etiam in §§ 216 et 219 legimus, ne attigit quidem? Quibus in paragraphis, quas secundo loco perlustrandas proposuimus, Demosthenem negaturum esse scriptum videmus actorem ex ulla alia causa litem intendisse, nisi ut Alexandro blandiretur. Nec difficile est intellectu defensorem ad haec verba non respondisse iterum curantem, ne eis Atheniensibus, qui a Macedonibus stabant, locum daret nocendi et voces quasdam inconsideratas ad Amphictyones deferendi, quos Pythiorum sollemnibus iudicium facturos esse Aeschines ipse in § 254 dixerat. De industria igitur, minime de incuria adversarii verba praetermisit. Neque aliter res se habet tertio loco, ad quem haud scio an tamquam ad extrema Schaeferus ceterique descendere velint. Actor enim in § 257 exspectat Demosthenem in peroratione socios scelerum patronos excitaturum esse, id quod in tradita defensione

1) L. c. III 2 p. 77 sq.

2) Att. Ber. III 1² p. 432 sq.

3) D. Bew. d. Aesch. i. s. R. geg. Kt. I p. 42; D. Fr. d. sog. zw. Red. d. R. v. Kr. p. 41 sq.

4) Cf. ep. II 1 220.

non fit. Et merito; nam tantum abest, ut Demosthenes eiusmodi verba in edenda oratione omiserit, ut iam in causa tale quidquam non dixerit. Aeschines quidem non solum in epilogi paragrapho illa 257, sed etiam in §§ 7 et 196 in advocatorum gregem invehitur admonens, ne iudices in paucorum cum oratorum tum imperatorum dicione teneantur, ac malas tum in actionibus diiudicandis consuetudines cum superiorum temporum severitate conferens. Quin etiam ut Demosthenes Ctesiphontis patronus reiciatur, heliastas sollicitat (§ 202), quippe quorum ex arbitrio in unaquaque causa pependisse constet, utrum *οἱ συνήγοροι* verba facere sinerentur necne [1]). Defensor autem cum hunc accusationis locum in exordio orationis haud inepte refellat, patronorum mentionem non facit, idque compluribus de rationibus. Nam primum quidem verisimillimum est eum ipsum, ex quo in re publica versatus erat, i. e. ab anno circiter 354, nulli etiam causae advocatum exstitisse [2]). Unde perspicitur, cur in orationis de falsa legatione habitae paragraphis 290—301 Eubulum vituperet, quod Aeschini *συνήγορος* successurus sit, et iudices adhortetur, ne viros rerum civilium peritos ad ius dicendum auctoritate valere patiantur. Quae cum ita essent, facere non potuit, ut in lite Ctesiphontea ipse *συνηγόρους* secum ad iudicium deduceret. Ac ne habuit quidem, quod in hac causa patronos sibi advocaret, quoniam apparet Ctesiphonteam oratam tam prospere evenisse, ut orator *συνηγόρους* adsciscens nihil aliud acturus nisi vim defensionis infirmaturus fuerit. Optimo igitur iure subiectionem illam Aeschinis, qui simulaverat fore, ut adversariis ad Ctesiphontis rogationem defendendam patroni quidam advocandi essent, non solum non explet, sed plane neglegit, praesertim cum dubium non sit, quin etiam actor solus dixerit. Nam etiamsi cum alii loci tum Demosthenicae orationis verba paragraphi 87 „*κἂν διαρραγῶσί τινες τούτων*“ dilucide demonstrant multos homines Macedonum studiosos cum Aeschine adversus defensorem stetisse, tamen tota ex accusatione elucet neminem eorum patroni partes

1) Cf. Schaefer. l. c. I² p. 345.
2) Cf. Blass. Att. Ber. III 1² p. 31.

suscepisse. Nonne igitur Demosthenis erat cavere, ne Aeschines verba sine *συνεγόροις* faciens victoriae fiducia adversarios praestare videretur? Ac nonne recte fecit, quod ob eam causam patronos plane silentio praeteriit, tamquam si per se intellegeretur nihil esse, cur advocatos adsciscerent? Ergo iterum de industria ad actoris verba non respondit. Neutiquam autem probari potest eum tres illas subiectiones, quae in accusationis §§ 54 sqq., 216 et 219, 257 exstant de quattuor *καιροῖς*, de Alexandro, de *συνηγόροις* advocandis, indiligentia adductum neglexisse. Immo vero sententia Schaeferi ceterorumque, qui Demosthenem in edenda oratione Ctesiphontea anxia cura non fuisse putant, neque aliis locis neque his confirmatur.

Atque ut summam faciamus eorum, quae de Demosthenis ratione scribendi uberius disputavimus, hanc disquisitionem instituimus arbitrati de defensoris in evulganda oratione diligentia multo rectius iudicare eum, qui ipsam Ctesiphonteam exploret, quam illum, qui Schaefero, Blassio, Looffio, Reichio auctoribus usus ea pro certo habeat, quae primo adspectu res docere videatur. Intelleximus autem Demosthenem in hac oratione edenda tanta diligentia fuisse, ut minime credi possit eum Sirenum comparationem de incuria praetermisisse. Nam primum quidem eiusmodi sententia a probabilitate quam maxime abhorret propterea, quod ex comparatione utriusque orationis satis apparet eum Ctesiphonteam litteris mandasse non solum memoria nixum, sed etiam commentariis usum, in quos et ante litem et in iudicio argumenta adversario inferenda itaque etiam verba de Sirenum cantu facienda coniecerat. Deinde autem virorum illorum coniectura prorsus reicienda est, quippe quae nullo alio Ctesiphonteae loco stabiliatur. Nam inter accusationis subiectiones eodem modo, quo Sirenum comparatio, Demostheni abreptas et retractandae demum orationi per figuram *ὑποφορᾶς* adscriptas nulla reperitur, quae excitantibus defensoris verbis careat. Ad veras autem actoris praeoccupationes ut in habita, sic in scripta defensione respondetur idque ad omnes praeter tres, quarum Demosthenem iam apud iudices mentionem non fecisse cognovimus. Atque etiam in criminationibus Aeschinis refutandis defensor satis

diligenter versatus est, quoniam nec nimium nec parum multa litteris mandavit. Nam ne uno quidem ex locis illis quadraginta tribus, quibus ad accusationem respicit, extra calcem decurrit. Minora autem verba, quam quae in causa fecerat, in scriptam orationem eum recepisse minime probabile est, quod omnia fere Aeschinis argumenta, quae defensor apud heliastas refutasse, in edenda autem Ctesiphontea neglexisse videtur, retractandae demum accusationi inserta sunt. Ceteris denique locis, quibus Demosthenis taciturnitas his rationibus explicari non potest, difficultates expediendas non esse perspeximus nisi eo modo, ut defensoris verba integra ad nostram aetatem venisse negemus. Quam ad coniecturam supra in tractandis paragraphis 120 et 121 adducti sumus; eandem viam ad quaestionem de Sirenum comparatione absolvendam ingredi cogemur, si perinde atque explicationes adhuc pertractatas ceteras quoque sententias de hac re prolatas reiecerimus.

Atque quod attinet ad coniecturas illas, quae Schaeferi ceterorumque opinioni proximae accedere videntur, Hubo [1]) sententiam proposuit, quam breviter examinare debemus. Qui vir arbitratus defensorem orationem in publicum editurum permulta vel ad marginem commentarii ante iudicium exarati adscripsisse vel in schedis volumini affixis exposuisse, hanc operis partem ad finem non perductam esse censet. Cum enim persuasum habeat Demostheni in animo fuisse non minus quam cetera, quae apud iudices ex tempore dixerat, Sirenum quoque comparationem evulgandae orationi inserere, in Ctesiphontea vero nec vola nec vestigium *τῶν Σειρήνων* inveniatur, dubium ei non est, quin defensor aliqua causa, quominus id faceret, impeditus sit. Quid autem fuisse vir doctus putat, cur Demosthenes orationem de corona habitam non solum ad finem scribendi non perduceret, sed ne ederet quidem ipse? Num recte iudicat Hubo dicens Demostheni in re publica maxime occupato cum ante tum post litem Ctesiphonteam nec licuisse nec libuisse multum temporis subtrahere negotiis publicis et in scribendo collocare? Minime. Nam primum quidem inter ceteros fere omnes viros doctos convenit eis ipsis annis, qui

1) De Demosthenis oratione Ctesiphontea p. 29 sqq.

litem de corona intentam secuti sunt, defensori satis superque otii fuisse. Ex quo fit, ut verbi causa Blassius [1]) in sententiam ab Hubone plane diversam disputet rectissime dicens Demosthenem post diem iudicii sine dubio id egisse, ut commentarium antea scriptum retractaret, ac pergens: „Die politischen Verhältnisse liessen ihm, gewiss zu seinem grossen Schmerze, diese Zeit vollauf". Quae ne Kirchhoffius quidem negat, cuius sententiam de Ctesiphontea ab ipso Demosthene non edita Hubo amplexus est. Kirchhoffius [2]) enim de defensoris angustiis quibusdam temporis nulla verba faciens eum incertis rationibus, quominus orationem evulgaret, impeditum esse affirmat. Sed praeterquam quod minime intellegitur, quid tandem Demostheni talia consilia agitanti intervenerit, graves causae eum etiam impulisse censeo, ut Ctesiphonteam neutiquam non foras daret. Nam non modo ut orationem illam singulari arte confectam memoriae proderet laudemque sibi pareret uti in iudicio apud audientes, sic causa finita apud legentes, sed etiam ut a criminationibus denuo iniectis se defenderet, ad Ctesiphonteam edendam adductum eum esse apparet. Qua ratione nonne verisimile erat eum suspiciones hominum illorum facile diluturum et propulsaturum esse, qui eum accusabant, quod ab Harpalo pecuniam accepisset? Quibus ab hominibus in iudicium vocatus Demosthenes damnatus quidem et in carcerem coniectus est; sed tamen ex ipsa causa anno Ol. CXIV 1 i. e. 324/3 acta iterum satis perspicitur Ctesiphonteam illo tempore iam in hominum manus pervenisse. Nam ex decem accusationibus hac in lite habitis Dinarchi oratio, quae inscribitur *κατὰ Δημοσθένους περὶ τῶν Ἁρπαλείων*, sola integra tradita est. Qua in oratione Dinarchus, clarissimus imitatorum Demosthenis, et aliorum oratorum et huius vestigia sequitur. Imitatur autem, id quod maxime praedicandum est, non solum orationes eius priore tempore habitas, sed etiam Ctesiphonteam, quippe cuius ad § 311 Dinarchi in Demosthenem orationis paragraphum 96

1) Dem. or. ed. Teubn. introd. p. 12.
2) L. c. p. 85.

spectare satis constet [1]). Sequitur, ut eo tempore, quo lis Harpalica acta est, i. e. duobus annis ante mortem Demosthenis, Ctesiphontea in lucem iam edita fuerit. Alia igitur testimonia neglegens vel haec argumenta tantam vim habere censeo, ut inde perspiciatur Hubonis sententiam de Ctesiphontea a Demosthene non edita reiciendam esse: Demosthenes orationem ipse evulgavit ideoque etiam usque ad finem scribendi perduxit, litteris mandans et cetera argumenta et verba de Sirenibus facta. Sed his omnibus remotis Hubo de Sirenum comparatione ita iudicans, ut defensorem commentarium antea exaratum non ad finem retractasse arbitretur, nonne fidem huius opinionis, quae per se parvam veritatis speciem habet, aliqua ratione augere studet? Certe enim mirum esset, si unum hoc vestigium incohatae retractionis reperiretur. Ac revera vir doctus, ut sententiam suam commendet, ad alteram difficultatem eodem modo expediendam provocat, scilicet ad id, quod Aeschines in §§ 55 et 159 sqq. de rebus post Ctesiphontis rogationem gestis dixit. Neque enim dubitat Hubo, quin Demosthenes in iudicio adversarium talia verba facientem aut refellerit aut vituperaverit, in contextum autem scriptae orationis redditam illam responsionem recepturus fuerit, nisi iterum tempus eum defecisset. Sed hanc explicationem plane improbabilem esse, quia defensor ad verba illa Aeschinis consulto nec in habita nec in scripta oratione respondit, supra (p. 55 sq.) satis intelleximus. Quamobrem sententia Hubonis hoc argumento adempto nihil habet, quo fulciatur. Totam autem Ctesiphonteam, numquid coniecturam propositam confirmet, perscrutantibus nobis eidem loci tractandi sunt, qui in disquisitione de Demosthenis diligentia instituta. Quibus locis quoniam defensorem nusquam aliter scripsisse ac dixisse vidimus, apparet eum in edenda oratione neque incuria quadam motum neque angustiis temporis prohibitum esse. Hubonis igitur sententia reicienda est, quippe quae eodem modo, quo supra Schaeferi, Blassii, Reichii coniectura, nullo alio Ctesiphonteae loco stabiliatur, praesertim autem cum ne dubitari quidem possit, quin Demosthenes orationem usque ad exitum perscriptam ediderit.

1) Cf. Blass. Att. Ber. III 2² p. 321 adn. 2.

§ 5. Ac satis mihi multa verba fecisse videor de explicationibus virorum illorum, qui Demosthenem opinantur de Sirenibus tacuisse nullis certis de causis, sed aut quia anxia non cura, aut quia in retractanda Ctesiphontea aliis occupationibus distentus fuisset. Restat, ut priusquam Sirenum comparationem edendae defensioni insertam ab alterius manu eiectam esse statuamus, aliam sententiam paucis adhuc attactam examinemus, eam dico, quam protulerunt Caemmererus et Rabius arbitrati Demosthenem verba de Sirenibus facta consulto postea suppressisse.

Caemmererus [1]) enim defensorem verba illa in contextum non recepisse putat, quod de adversarii vi dicendi nimis acerbe dixisse sibi visus et veritus esset, ne tali modo eloquentiam Aeschinis vituperans ipsam eloquentiam quasi offenderet. Haec autem coniectura quam infirmis nitatur fundamentis, nemo non videt. Nam primum Demosthenes in causa ipsa Sirenum comparationem nulla interposita dubitatione adhibuerat. Estne igitur verisimile eum verbis illis, in quibus multa milia audientium non offenderant, scribenda in oratione uti veritum esse? Deinde autem num Demosthenes is omnino erat, cui talis comparatio nimis acerba visa esset? Immo vero in ipsa de corona oratione permultis verbis utitur tam acerbis, ut etiam Blassius [2]) facere non possit, quin „das Uebermass an gehässiger persönlicher Schmähung" vituperet atque affirmet Demosthenem rectius facturum fuisse, si nihil a dignitate discessisset. Neque enim dubium est, quin defensor — eodem modo, quo exempli causa Plato in sophistis aestimandis — adversarii vitia nimis nigris coloribus pinxerit et omnibus fere locis de Aeschinis moribus quam vehementissime acerrimeque iudicaverit. Quae cum ita essent, Sirenum comparatio neque audientibus nec legentibus nedum Demostheni ipsi ante cetera defensionis argumenta offensioni esse potuit. Minime autem faciendum est cum Caemmerero arbitrato defensorem tali de causa verba illa consulto omisisse.

---

1) L. c. p. 30.
2) Att. Ber. III 1² p. 435.

Sed Rabius [1]) eandem viam ingressus aliam explicationem proponit. Cui persuasum est defensorem Ctesiphonteam non nisi adhibita Aeschinis iam vulgata oratione foras dedisse. De Sirenum autem comparatione iudicat vir doctus, „dass Demosthenes . . . jenes Bild allerdings vor Gericht gebrauchte, aber später unterdrückte, um auf diese Weise der nachträglichen, ausserordentlich beissenden Antwort des Aeschines, die nicht gut überboten werden konnte, wenigstens die Spitze abzubrechen". Sed etiam haec sententia mihi a probabilitate quam maxime abhorrere videtur. Equidem enim num defensor orationem in lucem edens retractatam accusationem iam cognoverit, valde dubito idque propterea, quod censeo eum, si orationem Aeschineam ante oculos habuisset, multis locis modo omittentem modo adicientem ad adversarii verba postea mutata responsurum fuisse. Sed etiamsi concederetur Demosthenem, antequam defensionem litteris mandaverit, retractatae accusationis paragraphos 228 et 229 legisse, tamen vix intellegeretur, cur comparationem illam suppressisse statuendus esset. Nam quod ad Rabii de actoris responsione sententiam attinet, supra (p. 39 sqq.) id ipsum vidimus Aeschinis verba tam inepte dicta esse, ut minime „mordacia" vocari possint. Cur enim Aeschines comparationem ab adversario auditam non suam facit? Cur non ipse Demosthenis vocem cum Sirenum cantu comparat? Quare dubitat defensoris verba non solum cavere, sed etiam, id quod in exemplo a medico ducto (§ 225 sq.) optime fecit, in auctorem adhibere? Cuiusmodi responsionem revera mordacem futuram fuisse ex eis perspicitur, quae actor in § 226 obicit Demostheni interroganti, quis sit ille medicus, qui aegrotanti nihil det consilii, eo defuncto autem, quibus rationibus sanitatem recuperare potuisset, exponat. Acerbissime enim Aeschines respondet se raro quidem, quae sentiret, civitati suadere potuisse, sed non nisi per ipsius Demosthenis calumnias a rerum publicarum administratione depulsum esse, quaerens: *τίς ἂν εἴη δημαγωγὸς τοιοῦτος ὅστις . . . τοὺς εὖ φρονοῦντας κωλύοι διαβάλλων συμβουλεύειν, . . . ἀγαθὸν μηδ'*

1) L. c. p. 61.

ἓν πεποιηκὼς, πάντων δὲ τῶν κακῶν αἴτιος γεγονὼς, ἐπερωτῴη δὲ τοὺς συκοφαντηθέντας ἐκ τῆς πολιτείας ἐπ' ἐκείνων τῶν καιρῶν ὅτ' ἐνῆν σώζεσθαι, διὰ τί αὐτὸν οὐκ ἐκώλυσαν ἐξαμαρτάνειν . . .; Quae verba mordacia ac multo acerbiora sunt quam illa in §§ 228 et 229 facta. Demosthenes autem si Ctesiphonteam editurus Sirenum comparationem propter adversarii, ut putat Rabius, nimis acrem responsionem delevisset, eadem de causa vel potius maiore iure hoc medici exemplum silentio eum praetermittere necesse erat. Quoniam id non factum, etiam illud incredibile est.

§ 6. Itaque ne haec quidem sententia probanda, sed statuendum est Demosthenem comparationem, quam tractamus, non solum in iudicio protulisse, sed etiam in edendam orationem recepisse. Nam ut totius partis argumenta paucis comprehendamus, primum intelleximus accusationis paragraphos 228 et 229 retractandae demum orationi insertas et adversariorum verbis quibusdam, quae de Aeschinis facultate dicendi facta erant, oppositas esse. Atque constat non Ctesiphontem, sed Demosthenem ea ratione dixisse, quamquam tradita in defensione vestigia Sirenum comparationis non inveniuntur. Satis autem demonstrasse mihi videor Demosthenem, ne forte verba illa publici iuris faceret, neque incuria quadam neque angustiis temporis adductum esse posse. Nec minus veri dissimile est de industria eum in edenda oratione comparationem suppressisse. Sequitur, ut statuamus verba de Aeschinis voce facta in lucem quidem prodiisse, sed certa de causa postea intercidisse aut eiecta esse. Quomodo autem haec facta essent, in capitis prioris extrema parte iam perspeximus.

Omnibus enim his expensis dubitari non potest, quin defensionis Sirenum comparatio eadem de causa in nostram aetatem non pervenerit, qua Demosthenis de secundo *παρανόμῳ* responsio in traditis §§ 120 et 121 non exstat. Cui legum interpretationi apud heliastas allatae et post iudicium litteris mandatae librarios quosdam responsionem domi elaboratam substituisse vidimus. Ac per eandem librariorum imprudentiam Sirenum comparationem intercidisse apparet. Nam, ut supra (p. 59 sqq.) in Hubonis sententia examinanda concessimus,

verisimile est Demosthenem multis locis commentarii illius quidem antea exarati actoris vocem perstringere studuisse, sed tamen ad verba, quae tractamus, in iudicio demum delapsum esse. Nec scio an id egerit, ut Aeschinis eloquentiam in suspicionem vocans adversarii argumenta quaedam necopinata infirmaret, quae non facile refutari posse ipse sensisset. Quo consilio dum Aeschines dicebat, comparationem illam, id quod iterum iam supra (p. 49 sq.) suspicati sumus, in chartulam coniecit, deinde in oratione habita attulit. Neque omisit verba de Sirenibus facta, cum Ctesiphonteam in publicum ederet. Commentario autem, qui ante diem iudicii scriptus erat, post mortem Demosthenis non solum in scidis reperto, sed etiam publici iuris facto in grammaticorum scholis lectiones huius orationis domi praeparatae cum illius apud iudices habitae compositae sunt. Atque ut alia commentarii verba, sic argumentum illud, a cuius prima recensione Sirenum comparatio aberat, respondenti loco editionis Ctesiphonteae aut ad marginem aut supra lineas adscriptum est. Librarius autem, quippe cui haec adscripta responsio melior videretur, quam quae exstabat in oratione ipsa, secundam huius argumenti recensionem, quae praeter alia verba Sirenum comparationem praebuit, e contextu eiecit et commentarii lectionem in exemplar transscripsit.

Quo factum est, ut Demosthenica verba, quae Aeschines in accusationis §§ 228 et 229 propulsare studet, aetatem non ferrent.

Quid ergo est? Quem exitum res habebit? Age iam ita interrogantibus explicemus, quid sibi velit finis iste, ad quem pervenimus.

Ac primum quidem ex eis, quae diximus, satis iam intellectum puto aliquantum interesse inter defensionem editam et propagatam. Videtur enim hoc constare: in Demosthenicae orationis §§ 120 et 121 prima, non secunda recensio argumentationis cuiusdam tradita est; verba autem, quae exspectamus, per librariorum imprudentiam interciderunt. Contra Aeschineae orationis §§ 228 et 229 ad secundam recensionem Demosthenis

responsionis cuiusdam pertinent; cum autem defensio, quam in manibus habemus, talia verba non praebeat, quaeritur, quo loco librarii secundae illi recensioni iterum primam substituerint. Atque ea in animo reputantibus nonne propter ipsum consensum concentumque ambarum quaestionum illud nobis succurrere paene necesse est locos ipsos quos tractamus aliquo modo fortasse inter se coniungendos esse? Nonne fieri potest, ut altera difficultas ex altera dissolvatur, i. e. ut statuamus aut recensionem secundam, quam in §§ 120 et 121 desideramus, verba de Sirenum cantu facta continuisse aut primam recensionem argumenti illius, quod apud iudices Sirenum comparatione adornatum est, in traditis §§ 120 et 121 reperiri? Quae coniectura quomodo refelli possit fateor me non intellegere. Immo vero haec sententia eo maiorem accipit probabilitatem, quod ita si conicimus, omnes difficultates optime diluuntur. Nam quod attinet ad Demosthenis de secundo *παρανόμῳ* in iudicio responsionem, supra (p. 34) suspicati sumus defensorem primum quidem Aeschinis verbis neglectis ad legem Dionysiacam provocasse affirmantem eam ad coronas uti ab aliis, sic a populo decretas spectare, deinde dubitationes quasdam heliastis ea ratione praecidere studuisse, ut audientes de actoris captiosa voce atque artibus dicendi admoneret. Eodemque modo in fine capitis alterius (p. 65) perspeximus Demosthenem Sirenum comparatione usum argumentum quoddam fulcire voluisse, in quo ne quid iudices offenderent, ipse veritus esset. Nonne igitur verisimillimum est hoc argumentum ita commendatum ad illam iuris quaestionem pertinuisse? Mihi quidem omnibus his expositis dubium non est, quin Demosthenes coronae renuntiationem in theatro faciendam hoc fere modo defenderit: primum dixerit in lege Dionysiaca interpretanda vetustiorem illam legem respiciendam non esse, tum legis exceptionem non ad exteros solos honores, sed etiam ad populi senatusque coronas spectare ideoque laudationem a Ctesiphonte rogatam optimo iure in theatro praedicari posse affirmaverit, denique iudices admonuerit, ne adversarii verbis fidem habeant neve eius eloquentia decipiantur, cui perinde ac Sirenum cantui non solum summa dulcedo, sed etiam letifera vis insit. Sine dubio enim

asseveravit Aeschinem verba facientem nihil aliud agere nisi audientibus perniciem moliri. „Et cum ita te geras“, perrexit eadem ratione, qua hodie legimus in § 122, „recenses quae inesse debeant τῷ δημοτικῷ, tamquam e verbis et non e factis ac rebus gestis homines populares cognoscantur“. Hoc igitur loco ea Sirenum comparatio adhibita est, quam Aeschines in retractandae orationis §§ 228 et 229 respexit. Ac Demosthenes cum defensionem evulgaret, etiam hanc nimirum responsionem in causa redditam emisit. Sed post eius mortem commentario quoque publici iuris facto in scholis grammaticorum veterum argumentatio de secundo παρανόμῳ ante diem iudicii exarata, a qua verba de Sirenibus facta aberant, respondenti loco editionis Ctesiphonteae adscripta et postero tempore, ut pluribus iam disseruimus, a librariis in contextum recepta est [1]). Ex quo fit, ut non solum comparatio illa in tradita defensione non exstet, sed etiam tota responsio de coronae praedicatione reddita in nostram aetatem adeo non pervenerit, ut in §§ 120 et 121 prima tantum eius loci recensio inveniatur.

Qui exitus institutae inquisitionis extra omnem dubitationem positus mihi videtur. Nec fore quemquam spero, qui de eiusmodi duplici recensione Demosthenicae orationis dubitet. Credi autem vix potest unum hoc vestigium exstare, quo appareat Ctesiphonteam e duabus orationibus conflatam esse. Ac revera quamquam difficillimum est dictu, quando unumquodque argumentum defensionis confectum sit, tamen pro certo affirmaverim nonnullis etiam aliis locis Demosthenis verba memoriae prodita minime ex ipsius editione, sed e commentario illo profecta esse. At harum rerum quaestionem, ne extra fines dissertationis egrederer, in aliam mihi opportunitatem seponere malui. Ergo satis habebo, si quoscunque ad studia nostra animum advertisse haud puduerit, difficultates, de quibus disputavimus, nisi coniectura proposita expediri non posse persuasero.

1) Cf. ea, quae de his rebus supra p. 34 sq. exposuimus.

Vita.

Natus sum Augustus Robertus Ernestus Adolfus Huebenthal a. d. XIII. Kal. Iul. anni MDCCCLXXXI Servestae Anhaltinorum patre Adolfo, matre Clara e gente Wetzel, quos superstites pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis imbutus frequentavi a vere anni MDCCCXC ad idem usque tempus anni MCM gymnasium patriae urbis Francisceum, cui tum Theophilus Stier eique succedens Ferdinandus Seelmann praeerant. Maturitatis testimonio instructus Ienam me contuli philologicis studiis operam daturus. Ibi per tria semestria commoratus per sex menses Berolinensis litterarum universitatis civis fui, deinde, ut absolverem studia, Ienam redii.

Docuerunt me viri doctissimi Delbrueck, Dinger, v. Dobschuetz, Eucken, Gelzer, Goetz, Hirzel, Leitzmann, Liebmann, Michels, Noack, Schrader, Wendt Ienenses; Diels, Harnack, Lasson, Menzer, Pfleiderer, Rawitz, Vahlen, v. Wilamowitz Berolinenses. Ienensis proseminarii philologici per duo, seminarii per quattuor semestria sodalis fui auspiciis Gelzeri, Goetzii, Hirzelii. Proseminario Germanico Ienensi moderante Michelsio per bis sex menses interfui. Exercitationibus metricis Goetz, Germanicis Leitzmann, archaeologicis Noack benigne me admiserunt.

Quibus omnibus praeceptoribus, praeter ceteros autem Georgio Goetz, qui studia mea summa benevolentia adiuvit, gratiam quam maximam habeo semperque habebo.

3 0112 126249827